BIBLIOTECA VITT. EMANUELE FONDO FIORENTINO
32
5 B
4

DELICIAE

ERVDITORVM.

Digitized by Google

DELICIAE
ERVDITORVM
SEV
VETERVM
ANEKΔOTΩN
OPVSCVLORVM
COLLECTANEA

Collegit, illuſtravit, edidit:



FLORENTIAE. MDCCXXXVI.
Ex Typographio PETR. CAIET. VIVIANII
ad Inſigne D. THOMAE AQVINATIS.

Cum adprobatione.

MICHAELIS GLYCAE
EPISTOLIARVM
PARS PRIMA.



NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO

BERNARDIN. RICCARDIO

CLANNIS ET RVPIS ALTAE MARCHIONI
EQVESTRIS DIVI STEPHANI ORDINIS
PRIORI
SERENISSIMI MAGNI ETRVRIAE DVCIS
CVBICVLI PRAEPOSITO
COH. PRAET. GERMANORVM EQVIT.
CATAPHRACTAE PRAEFECTO
DOMINO MVNIFICENTISSIMO
HOC QVALECVMQVE OBSEQVII ET
VENERATIONIS MONVMENTVM

I. O. L. A M I V S

DEDICO CONSECROQVE

IBI potiſſimum haſce Collectaneorum meorum primitias, VIR AMPLISSIME, tam-

quam praeſenti cuidam Numi-
ni conſecrandas fuiſſe, nullus
aequus rerum aeſtimator inficias
ierit. Nam & munifico Muſas,
Muſarumque Alumnos, patroci-
nio tueris ac foves; & me in
primis TV, PATERQVE TVVS,
ac FRATRES, Viri natalibus,
virtute, dignitate, longe cla-
riſſimi, peculiaribus, iiſque
maximis, beneficiis obligaviſtis.
Nam, quum mei a nemine ratio
heic haberetur, deſpectuſque ſo-
lum vertere iterum meditarer,
VOS uni me bono animo eſſe,
& praeſidio veſtro atque opibus
adiutum, in patria Vrbe permane-
re, voluiſtis. Quare, quum am-
plitudini VESTRAE & liberalita-
ti, quaecumque ingenii mei, lau-
datorumque laborum, monumenta

prodierint, accepta iure optimo re ferenda ſint, par quoque erat ut iſthuc ipſum manifeſta aliqua grati memoriſque animi ſignificatione teſtatiſſimum facerem. Quid quod eae ipſae Commentationes, quae hoc primo volumine continentur, ex inſtructiſſima & ornatiſſima tua Bibliotheca erutae ſunt; adeoque TIBI, etiam alia facie ac cultu conſpicuae, hac ſaltem ratione reſtituendae videantur? Excipe igitur pacato vultu hoc munuſculum, illudque reſpice veluti maioris molimînis Prodromum, quo ulterius TVI glorioſi NOMINIS, TVAEQVE GENTIS illuſtriſſimae laudes, titulos, decora, efferre, ac celebrare non deſinam. Vale, VIR NOBILISSIME, TEQVE

Deus Opt. Max. diu incolumem felicitati temporum ſervet. Dabam Florentiae IX. Kal. Ianuar. A. R. S. MDCCXXXVI.

CANDIDO LECTORI

IO. LAMIVS S. D.

QVum peregre iamdudum profectus, nobiles quasdam, & maxime celebres, Europae regiones haud incurioſe luſtrarem, GERMANIAM *vero in primis ac* GALLIAS; *& varias eximiaſque dotes, quibus eas Natura prodige auxit ac exornavit, & laudata ſtudia ac mores, quibus ſolertes & induſtrii incolae excellunt, quadam perculſus admiratione & iucunditate ſubſpexi. Sed quod praecipua meum animum ſuavitate delinivit, & incredibilis voluptatis illecebris potenter attraxit, gentium illarum fuit in litteras bonaſque artes proclivitas ſingularis, & in eruditione comparanda, liberalibuſque diſciplinis illuſtrandis perficiendiſque, labor indefeſſus atque admiranda ſedulitas. In hac autem cura, atque negotio, digno profecto quod laudibus*

qui-

quibuſque feratur, ſtudium ac diligentiam illam probavi vehementer, qua omnes Bibliothecarum pluteos, omnes Archivorum angulos, excutiunt & luſtrant, vetuſtos codices evolvunt, diſiectas & ſitu ſquallidas chartas, corroſaſque membranas, veſtigant ac colligunt, ut tandem aliquod inde eruant docti alicuius Scriptoris, cultique ingenii, monumentum, quo vel antiquae hiſtoriae, & rebus praeclare geſtis, memoriaque digniſſimis, lux nova ſincerioraque feneretur; vel doctrinae ceterae, egregiaeque artes, incrementum accipiant, & numeris omnibus abſolvantur. Heinc enim, ut elucet atque eminet, eos progreſſus ſcientia noſtris temporibus fecit, ut non denſa tantum atque horrens barbariae, quae dudum invaluerat, caligo penitus diſcuſſa fuerit; verum etiam aethere, ut ita dicam, largiore, & nitidiſſimo ſolidioris litteraturae, & caſtigatioris eruditionis, meridie perfrueremur. Heinc quoque laus eximia & immortalis ingeniis nobiliſſimis iure optimo parta eſt, SCALIGERO, CASAVBONO, SALMASIO, GROTIO, MEVRSIO, CANISIO, BIGOTIO, RVINARTO, MABILLONIO, MARTENIO, ACHERIO, DVRANTIO, MONTIFALCONIO, SIRMVNDO, SCHOTTO, PONTANO, BOLLANDO, PAPEBROCHIO, PISTORIO, FREHERO, GVDIO, MEIBOMIO, VOSSIO, VSSERIO, GRVTERO, PETZIO, *ſexcentiſque aliis, qui hac ratione & litterariam Remp. maximo beneficio*

obli-

obligavere, & patrias regiones fama, titulisque praeclariſſimis, decorantes, ſe in GLORIAE *quodammodo atque* AETERNITATIS *aede conſecraverunt. At illuſtria quoque exempla in anteceſſum mea mihi* ITALIA *ſuppeditaverat, inque meum animum quaedam aemulationis ſemina iecerat: quare illorum fulgore captus iam & incenſus, quum in felicibus tantorum Virorum ſedibus peregrinus deinde verſarer, inſanas neſcio quas pectore flammas ardoremque conceperam, cuius ſcintillae carceris & anguſtiarum impatientes erumpebant idemtidem; & cum apertis deſiderii mei ſignificationibus undique abſiſtentes exſiliebant. Nam ille divini nominis vir* CAES. BARONIVS, *doctrina neſcio an dignitate ſublimior, & eruditiſſimus* LVD. ANT. MVRATORIVS, *noſtri ſaeculi decus & ornamentum, ut ceteros bene multos ſilentio praeteream, faces mihi ignem iam correpturo mature ſubdiderant, acreſque in ſtadium deſcenſuro addiderant ſtimulos. Sed quod proclivem animum, & ſuo quodammodo pondere illo ſe ferentem, vehementius urgebat, mea ipſa* FLORENTIA *erat, Vrbs illa acrium feliciumque ingeniorum feraciſſima, & ampliſſimum litterarum egregiarumque artium theatrum, quae mihi etiam abſenti ſaepius ante oculos obverſata, eximia civium ſuorum decora, & ſtudia incluta, in memoriam adſidue revocabat. Nonne vides, mihi eam dicentem audire videbar,*

ubi

ubi primum litterae, artes, doctrinae, disciplinaeque liberales, intermortuae dudum, excitatae fuerint ac restituate? Vbi praeclara veterum monumenta, docta volumina, eminentissimorum Virorum eruditi labores, in lucem iterum revocati sint, & publico usui, & commoditati, patuerint? Quisnam ante illos θεοεικέλους MEDICES, COSMAM *&* LAVRENTIVM, *Bibliothecam pretiosis cuiusque doctrinae, linguae cuiusque, voluminibus instructissimam communi populorum utilitati sequioribus bisce saeculis dedicavit? Vnde nam, nisi e meo sinu, docti illi atque absolutissimi, planeque admirandi, Graecorum Sapientum commentarii chalcographico opere descripti in vulgus primitus prodiere? Quomodo typis excusae, Orientalium Scriptorum, exotico prorsus & apud nos insueto sermone, exaratae lucubrationes Europae toti innotuissent, nisi mei illi iidem* MEDICES, *laudatissimo ausu, ac regio plane sumtu, & typos eiusmodi fabricandos curavissent, & describenda commentaria; atque ita splendida memorabiliaque exempla praebuissent, quibus in laude consequenda, litterisque iuvandis, posteri deinceps, gloriose ac magnificenter, insisterent? Veniat tibi in mentem tot meorum praestantissimorum civium,* FICINI, NERLIORVM, VICTORII, DONII, CORBINELLII, ZACHAGNII, BONAROTII, SALVINIORVM, BONAVENTVRII, COCCHII, BISCIONII, VRSII,

Go-

GORII, BOCTARII, MARTINII, MANNII, LVPII, *qui delitescentia veterum scripta, & sepulta in tenebris atque oblivione monumenta, in lucem hanc liquidam eduxere, & magna cum laude, eruditorumque hominum adprobatione, ejusmodi perampla scientiae ac disciplinarum incrementa, publici iuris esse voluerunt. Haec, atque his similia, dilecta Vrbs adfari videbatur, & quo sui hortatus maiori me efficientia ac virtute propellerent, ipsa etiam se conceptae iam meo in pectore flammae alimenta ministraturam promte liberaliterque promittebat. Patentes mihi suas ostentabat Bibliothecas, omnigenis codicibus MSS. & iis quidem eximiis & praecellentibus, locupletissimas,* RICCARDIANAM, STROCTIANAM, AD D. MARCI, AD S. CRVCIS, AD D. MARIAE, *aliasque permultas, quarum tamen omnium princeps est & clarissima* REGIA MEDICEA AD D. LAVRENTII, *cuius codicum MSS. copia, dignitas, atque praestantia singularis, notior est atque celebrior, quam ut heic commemorare, & praedicare, opus sit. Domesticis igitur exemplis excitatus, & peregrinis impulsus, vitamque per egregias artes excolendi, & rem litterariam pro virili iuvandi, desiderio usque flagrans, horum veterum ἀνεκδότων Commentariorum editioni animum lubenter adplicui, sero tamen, & longo iam tempore elapso, quam isthuc ipsum in animum meum induxeram, eo quod mul-*

multa mihi obcurrerint, quae obici atque impedimento eſſent, & aeſtuantis cupiditatis impatientiam veluti certis vinculis coercerent. Primum quidem in cauſſa fuere longae ac difficiles quinque annorum per varias, ut dixi, Europae provincias peregrinationes: in quibus tamen uberem mihi pro meo captu cognitionum veluti ſponte ſe obferentium copiam comparare facillime licuit; atque itinerum incommodis ſuperiori & opera Theologica, & Hiſtorica, & Critica, & Latina Etruſcaque Poemata, commentari; quae partim typis excuſa iam edidi, partim vero in praeſens temporis opportune emittenda reſervantur. Quam autem prolixis peregrinationum laboribus defunctus proſpere in patriam quodam veluti poſtliminio rediiſſem, Fortunam quinquereducem haud quaquam experto, praeſidia quaeque ſtatim, quibus mea conſilia facile exſequerer, penitus defuere; nullamque opem in ſalebroſo atque arduo ſtudiorum meorum curſu reperire fuit; adeo ut prope iam patriis finibus, alio titulis honeſtiſſimis evocatus, iterum excedere, & ſolum vertere coactus fuiſſem, niſi ſplendidum ac munificum Heroum RICCARDIORVM *patrocinium tempeſtive interceſſiſſet, effeciſſetque, & ut Florentiae remanerem, & eorum Bibliothecae praeficerer, & Hiſtoriae Eccleſiaſticae Cathedram in Florentina Academia, licet ſterilem, obtinerem. Interea vero Bibliothecae, cuius mihi*

hi cura ab illis aeterni nominis VIRIS demandata fuerat, in ordinem redigendae pro meo munere ſedulo incumbens, et locupletiſſimo, eodemque exactiſſimo, codicum cum *MSS.* tum χαλκογράπτων catalogo, qui mihi in primis cordi erat, contexendo contente adſidueque occupatus, tantum mihi otii haud ſupereſſe intelligebam quantum laborioſa haec & difficilis ἀνέκδοτα doctorum hominum Opuſcula vulgandi provincia; quid ferre mei humeri valerent diu verſanti, caſuſque omnes ſerio expendenti, requirere videbatur. Nam ceteris difficultatibus & illud accedebat incommodi, quod non evulgandas Commentationes recenſere tantum, & cum primigenio contextu conferre, & illuſtrare, & e Graeco, vel alio idiomate, in Latinum, ubi opus fuerat, convertere ipſe deberem; verum etiam ex vetuſtis, & male aetatem ferentibus codicibus, & ſcriptura plerumque fugitiva & evanida, vel ſaltem intellectu aliquando difficillima, nocturno diurnoque, eodemque improbo, labore, exſcribere eas moleſte compellerer. Siquidem in ea urbe verſor, in qua neminem, quem codicibus Graecis *MSS.* emendate exſcribendis iuſta mercede conducas, invenire eſt: paucos vero admodum, qui Latinos etiam, & Italicos, libros manu exaratos tibi exacte caſtigateque tranſcribant. Nihilo tamen minus poſtremum, quum ea ipſa negotiorum turba ac tumultus, quibus undique circumfluebar, ardens

dens huius editionis desiderium refrigere minime paterentur (nam in codicibus Riccardianae Bibliothecae evolvendis, digerendisque, antiqua egregiaque cuiuscumque artis ac disciplinae inedita monumenta mihi idemtidem obcurrebant, & novis usque stimulis animum interquiescere non sinebant, sed ad provinciam tandem capessendam mirabiliter incitabant) forte fortuna usuvenit, ut consilii mei eruditum virum Ios. Mar. Mecactivm participarem, qui, ut est ad quaeque audenda fiduciae & alacritatis admirabilis, rem praeclaram & maxime laudabilem, dixit, me animo volutare, nec comperendinatione amplius, aut ulla haesitatione, sed mature facto opus esse; quin & moras omnes praecipitandas: se paratum operam omnem, qua pote, indesinenter praestare; varioque codices exscribendi, multaque alia proposito conducentia procurandi, laborem suscipere. Tunc ipse improviso praesidio laetus, & in spem certam successus erectus, moras rumpere animum induxi meum: adeoque ambo convenimus, & concorditer quibusdam veluti orgiis foederati conspiramus, arduumque opus manus admoventes molimur: et solus ipse non amplius, nec denso circumstantium negotiorum agmine, nec ulla alia rei difficultate, deterreor. Eoque magis meis coeptis minime diffidebam, quod probe nossem Mecactivm hominem facilem, & impigrum, popularibusque notissimum; quod-

que

que multo optabilius fuerat atque opportunius, litteris adprime inſtructum, & qui praeter alia ingenii ſui & eruditionis ſpecimina, elegans etiam atque utile Florentinae Hiſtoriae Breviarium condidiſſet, brevi ab eo typis evulgandum. Itaque, ut iam ἐγκυκλίοις datis litteris pollicitus fui, XXIIII *plus minus voluminibus praeclaras atque eximias virorum eruditorum, qui ante* XVI *Chriſtiani nominis ſaeculum floruere, commentationes ἀνεκδότους certo ordine ac ratione comprehendam, atque ita prodituras in lucem digeram, ut ſingulis voluminibus diverſi argumenti, aut linguae, aut generis compoſitionis, opera quoad fieri poteſt minime contineantur: ſed eiusdem ſtili, & idiomatis, & materiae, omnes. Nam, ut opportune iam edixi, cuiuſcumque diſciplinae, & facultatis opuſcula, & differentibus etiam linguis exarata, colligere, & publicare fert animus, ut non praeceptis tantum illuſtribus, & documentis graviſſimis, noviſque oblatis cognitionibus, blande ad ſui lectionem viros litterarum amantes adliciant; ſed ipſa etiam rerum, argumentorum, & orationis varietate legentium animos iucunde detineant, oblectentque ſuaviter. Breves quidem, & compendiariae eiuſmodi lucubrationes ſeligentur, quod quidem voluminum forma, & magnitudo exigere videatur: ampliores enim, prolixioreſque commentarios, quos etiam, egregios, & publica luce digniſſimos, memoratae Biblio-*

thecae abunde ſufficiunt, in maioris molis volumina olim, ſi Deus faxit, includendos conſulto reſervamus. Quamquam vero potiſſima propoſiti mei pars fuerit opuſcula ea edere, quae in Florentinis Bibliothecis ignota hactenus, aut neglecta, delituerant: non tamen ita hac veluti lege obligabimur, ut ſiqua ex aliis Etruriae, Italiaeque, aliarumque etiam remotiorum Provinciarum Bibliothecis a viris doctrina & humanitate conſpicuis ad nos tranſmiſſa liberaliter fuerint, generali huic collectioni apte & tempeſtive inſerere recuſaturi ſimus: ſed gratiam potius aeternam ornatiſſimis viris habebimus, qui huiuſmodi nos muneribus auxerint, eorumque virtutis & eruditionis laudes praedicare non omittemus. Simili quoque exceptione uſuri prudenter ſumus in eo, quod nihil nos, quod ſaeculo XV *poſterius ſit, edituros recepimus: ſi quod enim occurrat viri ſcientia & iudicio praeſtantiſſimi ineditum commentarium, quodque non exiguam Litterariae Reip. utilitatem & ornamentum adlaturum eſſe videatur, aetate licet paulo recentius, nihilo tamen minus ſuum in his Collectaneis locum iure optimo habebit. Illud quoque indictum nolim, nos, etſi vetuſta omnigenae doctrinae opera congerere huc decreverimus, carmina tamen, & orationes excluſuros, cum quia innumerae iam id genus lucubrationum a viris litteratis editiones adornatae fuerunt, tum quia*

eam

eam utilitatem minime adlaturas esse existimavimus, quam nostri huius laboris atque operae scopum esse voluimus. Quamobrem ubi non mediocre emolumentum legentibus ex huiusmodi etiam commentationibus proventurum manifeste elucebit, ita ut vel ad historiae supplementum & illustrationem, vel ad aliarum liberalium artium & disciplinarum ornatum & incrementum, non parum conlaturas esse intelligatur, nostri operis & curae illae etiam pars erunt, & una cum aliis seriis magis, gravioribusque commentariis, typis excusa vulgabuntur. Haec autem omnia adeo ornate diligenterque composita edentur, & eo cultu instruentur, ceteriisque praesidiis iuvabuntur, ut Auctoris cujuslibet vita compendiaria oratione conscripta Commentarios ipsius antecedat, indiceturque insuper Bibliotheca, ex qua illi prodierint, codicumque MSS. ex quibus exscripti fuerint, brevis historia concinnetur. Variantes quoque Lectiones adscribentur, ubi plures ejusdem operis Codices offendantur; & scholia erudita, criticaeque animadversiones, eaque omnia luculentissima, adposite atque opportune adiicientur. Ceterum mea haec Collectanea DELICIAS ERVDITORVM *inscribere visum est, non tantum ut quae nam & quales cultorum honestissimorumque hominum deliciae sint, & suavissimae voluptates, manifesto indicio aequi rerum aestimatores perspicue comprehendant, & tandem maleferiati quidam ac*

lividi viros doctos, & ardenti virtute ſuprà communem ſortem evectos, exagitare hoc nomine vereantur; quantum ut titulo ſignificantiſſimo proderetur ea, quae illis obfertur, novae & inſuetae lectionis ſincera iucunditas, & florida, ac blanda ſelectae & multiiugis eruditionis amoenitas. Nec aliud profecto ex hiſce meis laboribus ſibi proventurum honeſtos viros, & litterarum amantes ſperaviſſe iam video, dum certatim, ante omnem etiam tituli lenocinantis illecebram, ad hanc Analectorum editionem promovendam collatis in anteceſſum ſumtibus concurrere; quorum ut virtus, humanitas, atque liberalitas, perpetua famae adclamatione perennent, perque univerſas terrarum orbis regiones aeternum celebranda circumferantur, eorum nomina heic in certam ſeriem digeſta deſcribentur.

CA-

CATALOGVS EORVM

Qui horum voluminum pretia in anteceſſum contulerunt.

* *

AQVIS SEXTIIS.

Thomaſſin de Maſaugues. Illuſtriſſimus Dominus Praeſes.

BERGOMI.

Lupi. Illuſtriſs. D. Comes Alexander.

BONONIAE.

Fiacchi. Adm. Rev D. Maria Angelus Monachus Camaldulenſis, Claſſenſis Monaſterii Bibliothecarius.

CASTRI FLORENTINI.

Baldi. Adm. Rev. D. Collegiatae Eccleſiae Praepoſitus.

EMPORII.

Tempeſti. Perilluſtris Dom. Petrus I. V. Doctor.

FANI FORTVNAE.

Flavi Coſtanzi. Illuſtriſs. Dom. Antonius.

FERRARIAE.

Bentivogli. Illuſtriſs. & Excellentiſs. Dom. Guido Marchio ex Hiſpaniae Optimatibus.
Borſetti. Illuſtriſs. D. Ferrantes I. V. Doctor, ac Illuſtriſſimae Civitatis Ferrariae Secretarius.
Marchionni. Reverendiſs. D. Caſimirus Ciſtercienſis Abbas S. Bartholi ad Ferrariam.
Riminaldi. Illuſtriſs. D. Comes Ioannes Baptiſta.

FESVLIS.

Reverendiſſimi Patres S. Dominici Ordinis Praed.

FLORENTIAE.

Acciaiuoli Torriglioni. Illuſtriſs. & Clariſs. D. Sen. & Marchio Antonius Franciſcus Eques D. Stephani.
Albizzi. Illuſtriſs. Dom. Lucas Caſimirus Marchio.
Allegri. Adm. Rev. D. Albericus Monachus Ciſtercienſis.
Altoviti. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dom. Antonius Metropolitanae Eccleſiae Canonicus.
Antinori. Illuſtriſs. & Clariſs. D. Senator Vincentius Prior Equeſtr. Ord. Divi Stephani.
Aquilanti. Perilluſtris & Rev. Dom. Coſmus.
Avanzini. Illuſtriſs. D. Ioſeph Medicinae Profeſſor.

Bac-

Bacci. Adm. Rev. Dom. Alexander.
Baccioni. Adm. Rev. Dom. Ioannes Dominicus.
Baccioni. Perilluſtris Dom. Ioſeph Romulus.
Bagnuoli. Perilluſtris Dom. Cancellarius Ioannes Baptiſta I. V. Doctor.
Baldacci. Adm. Rev. Dom. Philippus.
Baldi. Adm. Rev. Dom. Ioannes Baptiſta.
Baldigiani. Illuſtriſs. Dom. Ioannes Dominicus.
Bandieri. Perilluſtris Dom. Philippus I. V. Doctor.
Barberini. Adm. Rev. Dom. Marcus.
Bargiacchi. Illuſtriſs. Dom. Nicolaus.
Bartholommei. Illuſtriſs. Dom. Marchio Matthias.
Bechelli. Adm. Rev. Dom. Ioannes Baptiſta.
Bellucci. Perilluſtris & Rev. Dom. Ioannes Baptiſta.
Berti. Perilluſtris Dom. Ioſeph I. V. Doctor.
Bertini. Perilluſtris Dom. Dominicus.
Bertini. Perilluſtris Dom. Ioſeph Doctor Medicus.
Beſozzi. Adm. Rev. D. Auguſtinus Canonicus Lateranen.
Bini. Adm. Rev. Dom. Ioſeph Clemens.
Bondelmonti. Illuſtriſs. Dom. Ioſeph.
Borghigiani. Adm. Rev. Dom. Benedictus Maria Prior S. Stephani in Pane.
Borghigiani. Adm. Rev. Pater Vincentius Maria Ord. Praedicat.
Branchi. Perilluſtris Dom. Philippus.
Brandi. Perilluſtris Dom. Abbas Antonius Franciſcus.
Breſciani. Illuſtriſs. Dom. Benedictus Regiae Celſitudinis Mag. Etrur. Ducis Secretarius, & Bibliothecarius, &c.
Brocchi. Adm. Rev. Dom. Ioſeph. S. Theol. Doctor, & Seminarii Florentini Rector.
Bruni. Adm. Rev. Dom. Ioannes Baptiſta.
Canigiani. Illuſtriſs. Dom. Thomas Commendator S. Ioannis Ieroſolymitani.

Canini. Perilluſtris Dom. Cancellarius Caietanus I. V. Doctor.
Capaſſi. Reverendiſs. P. Gerardus ex Generalis Ordinis Servorum B. M. V.
Carneſecchi. Illuſtriſs. Dom. Franciſcus.
Cerretani. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Auguſtinus, Eccleſiae Metropolitanae Canonicus.
Chiari. Adm. Rev. Dom. Ioſeph
Civinini. Perilluſtris Dom. Ioannes Dominicus Doctor Medicus.
Collini. Perilluſtris Dom. Laurentius.
Compagni. Illuſtriſs. Dom. Ioannes.
Cremoncini. Adm. Rev. Dom. N N.
Da Galaſſo. Perilluſtris Dom. Philippus.
De Florentia. Reverendiſs. Pater Coſmus Antonius Ord. Min. Obſer.
Della Stufa. Illuſtriſs. & Clariſs. Senat. Marchio Sigiſmundus.
Del Monte. Illuſtriſs. Dom. Marchio Andreas.
Del Sera. Illuſtriſs. Dom. Aloyſius I. V. Doctor.
De Sancta Cruce. Reverendiſs. Pater Ioannes Ant. Commiſſarius Generalis Ord. Min. Obſ.
Doglioſi. Adm. Rev. Dom. Ioſeph Maria.
Dolci. Adm. Rev. Dom. Alexander Clericorum S. Ioannis Magiſter.
Dolci. Perilluſtris Dom. Xaverius Coſmus.
Doni. Illuſtriſs. Dom. Andreas Advocatus.
Fabri. Admod. Rev. Dom. Coſmus Plebanus S. Petri in Boſſolo.
Fabri. Perilluſtris Dom. Laurentius Doctor Medicus.
Fagiuoli. Perilluſtris Dom. Ioannes Baptiſta.
Fancelli. Adm. Rev. Pater Ioannes Petrus Prior Servorum B. M. V. Florentiae.
Federighi. Illuſtriſs. Dom. Ioannes.

Fe-

Feroni. Illuſtriſs. Dom. Marchio Franciſcus Antonius.
Fiacchi. Perilluſtris Dom. Cancellar. Franciſcus I. V. Doctor.
Ficini. Perilluſtris Dom. Antonius Franciſcus I. V. Doctor.
Finazzi. Perilluſtris Dom. Philippus.
Franceſchi. Illuſtriſs. Dom. Baro Franciſcus Eques D. Stephani.
Franchi. Adm. Rev. D. N N S. Theologiae Doctor, & in Seminario Florent. humaniorum Literarum Profeſſor.
Franchi. Adm. Rev. Dom. Nicolaus Severus I. V. Doctor.
Fratini. Adm. Rev. P. Dominicus Maria ex Minimis S. Franciſci de Paula.
Freſcobaldi. Illuſtriſs. Dom. Franciſcus.
Galilaei. Illuſtriſs. Dom. Philippus.
Galli. Illuſtriſſima Dom. Comes Catharina.
Gambaſſini. Adm. Rev. Dom. Thomas Plebanus S. Iuliani ad Septimum Proton. Ap. I. V. Doctor.
Gerini Bonciani. Illuſtriſs. D. Hieronymus.
Gherardi. Perilluſtris Dom. Cancellarius Caietanus I. V. Doctor.
Giraldi. Illuſtriſs. Dom. Ioannes Eques D. Stephani.
Giuntini. Perilluſtris D. Hieronymus Doctor Medicus.
Gondi. Illuſtriſs. & Clariſs. Dom. Senator Ioannes Franciſcus.
Gori. Adm. Rev. Dom. Antonius Franciſcus S. Theolog. Doctor, ac in Florentina Academia Hiſtoriae Profeſſor.
Gori. Perilluſtris Dom. Ioſeph Doctor Medicus.
Guicciardini. Illuſtriſs. Dom. Comes Franciſcus.
Guidi. Illuſtriſs. & Clariſs. Dom. Iacobus Senator, & Comes.

Lef-

Ridolfi. Illuſtriſs. Dom. Ioſeph Marchio.
Rota. Illuſtriſs. Dom. Philippus Advocatus.
Ruota. Adm. Rev. Dom. Ioannes Baptiſta Monachus Caſſinenſis.
Saller. Perilluſtris Dom. Cancellarius Petrus I. V. Doctor.
Salvatici. Perilluſtris Dom. Lucas Antonius.
Salvemini. Perilluſtris Dom. Cancellarius Ioannes Franciſcus I. V. Doctor.
Salvini. Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Salvinus, Eccleſiae Metropolitanae Canonicus.
Sandonnini. Illuſtriſs. Dom. Comes Iachinus I. V. Doctor.
Sarchi. Illuſtriſs. Dom. Ioannes Dominicus I. V. Doctor.
Saſſi. Illuſtriſs. Dom. Martialis.
Senſi. Perilluſtris Dom. Ioſeph Doctor Medicus.
Serriſtori. Illuſtriſs. Dom. Andreas.
Squarcialupi Minerbetti. Illuſtriſs. Dom. Aleander.
Tartaglia. Adm. Rev. Dom. Iacobus.
Tazzi. Perilluſtris & Rever. Dom. Dominicus.
Tofanari. Adm. Rev. Dom. Franciſcus.
Torrigiani. Illuſtriſs. Dom. Marchio Ioannes Vincentius.
Toſi. Adm. Rev. Dom. Caietanus.
Taviani. Adm. Rev. Dom. Sanctus.
Veneziani. Adm. Rev. Dom. Caietanus.
Veraci. Adm. Rev. Dom. Petrus.
Veracini. Adm. Rev. Dom. Thomas.
Vernaccia. Illuſtriſs. Dom. Dominicus.
Vghi. Illuſtriſs. Dom. Petrus Vicedominus perpetuus Archiepiſcopat. Florentin.
Vguccioni. Illuſtriſs. Dom. Antoninus.
Vguccioni. Illuſtriſs. D. Ricoverus Eques D. Stephani.

Vguc-

Vguccioni. Illuſtriſs. & Clariſs. Dom. Senator Ioannes.
Vinci. Perilluſtris Dom. Petrus I. V. Doctor.
Vitelli. Adm. Rev. P. Fulgentius Ord. Min. Obſer.
Zanobetti. Perilluſtris Dom. Paulus.
Zagri. Illuſtriſs. Dom. Philippus.
Zerli. Adm. Rev. Dom. Franciſcus Sac. Theolog. Doctor, & in Seminario Florent. Philoſophiae Profeſſor.

GENVAE.

Borgo. Perilluſtris Dom. Nicolaus.

LIBVRNI.

Gentili. Reverendiſs. Dom. Pamphilus Canonicus Collegiatae Eccleſiae & I. V. Doctor.
Mornini. Perilluſtris Dom. Arnaldus.
Reverendiſſimi Patres Trinitarii.

MONTE POLITIANO.

Samuelli. Illuſtriſſimus Dominus Abbas Claudius Eques D. Stephani.

MVTINAE.

Graſſetti. Illuſtriſs. Dom. Thomas.
Molinari. Perilluſtris Dom. Rupertus I. V. Doctor.

lividi viros doctos, & ardenti virtute ſupræ communem ſortem evectos, exagitare hoc nomine vereantur; quantum ut titulo ſignificantiſſimo proderetur ea, quae illis obfertur, novae & inſuetae lectionis ſincera iucunditas, & florida, ac blanda ſelectae & multiiugis eruditionis amoenitas. Nec aliud profecto ex biſce meis laboribus ſibi proventurum honeſtos viros, & litterarum amantes ſperaviſſe iam video, dum certatim, ante omnem etiam tituli lenocinantis illecebram, ad hanc Analectorum editionem promovendam collatis in anteceſſum ſumtibus concurrere; quorum ut virtus, humanitas, atque liberalitas, perpetua famae adclamatione perennent, perque univerſas terrarum orbis regiones aeternum celebranda circumferantur, eorum nomina heic in certam ſeriem digeſta deſcribentur.

CA-

CATALOGVS EORVM

Qui horum voluminum pretia in anteceſſum contulerunt.

* *

AQVIS SEXTIIS.

Thomaſſin de Maſaugues. Illuſtriſſimus Dominus Praeſes.

BERGOMI.

Lupi. Illuſtriſs. D. Comes Alexander.

BONONIAE.

Fiacchi. Adm. Rev D. Maria Angelus Monachus Camaldulenſis, Claſſenſis Monaſterii Bibliothecarius.

CASTRI FLORENTINI.

Baldi. Adm. Rev. D. Collegiatae Eccleſiae Praepoſitus.

EMPORII.

Tempeſti. Perilluſtris Dom. Petrus I. V. Doctor.

FANI FORTVNAE.

Flavi Coſtanzi. Illuſtriſs. Dom. Antonius.

FERRARIAE.

Bentivogli. Illuſtriſs. & Excellentiſs. Dom. Guido Marchio ex Hiſpaniae Optimatibus.
Borſetti. Illuſtriſs. D. Ferrantes I. V. Doctor, ac Illuſtriſſimae Civitatis Ferrariae Secretarius.
Marchionni. Reverendiſs. D. Caſimirus Ciſtercienſis Abbas S. Bartholi ad Ferrariam.
Riminaldi. Illuſtriſs. D. Comes Ioannes Baptiſta.

FESVLIS.

Reverendiſſimi Patres S. Dominici Ordinis Praed.

FLORENTIAE.

Acciaiuoli Torriglioni. Illuſtriſs. & Clariſs. D. Sen. & Marchio Antonius Franciſcus Eques D. Stephani.
Albizzi. Illuſtriſs. Dom. Lucas Caſimirus Marchio.
Allegri. Adm. Rev. D. Albericus Monachus Ciſtercienſis.
Altoviti. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dom. Antonius Metropolitanae Eccleſiae Canonicus.
Antinori. Illuſtriſs. & Clariſs. D. Senator Vincentius Prior Equeſtr. Ord. Divi Stephani.
Aquilanti. Perilluſtris & Rev. Dom. Coſmus.
Avanzini. Illuſtriſs. D. Ioſeph Medicinae Profeſſor.

Bac-

Bacci. Adm. Rev. Dom. Alexander.
Baccioni. Adm. Rev. Dom. Ioannes Dominicus.
Baccioni. Perilluſtris Dom. Ioſeph Romulus.
Bagnuoli. Perilluſtris Dom. Cancellarius Ioannes Baptiſta I. V. Doctor.
Baldacci. Adm. Rev. Dom. Philippus.
Baldi. Adm. Rev. Dom. Ioannes Baptiſta.
Baldigiani. Illuſtriſs. Dom. Ioannes Dominicus.
Bandieri. Perilluſtris Dom. Philippus I. V. Doctor.
Barberini. Adm. Rev. Dom. Marcus.
Bargiacchi. Illuſtriſs. Dom. Nicolaus.
Bartholommei. Illuſtriſs. Dom. Marchio Matthias.
Bechelli. Adm. Rev. Dom. Ioannes Baptiſta.
Bellucci. Perilluſtris & Rev. Dom. Ioannes Baptiſta.
Berti. Perilluſtris Dom. Ioſeph I. V. Doctor.
Bertini. Perilluſtris Dom. Dominicus.
Bertini. Perilluſtris Dom. Ioſeph Doctor Medicus.
Beſozzi. Adm. Rev. D. Auguſtinus Canonicus Lateranen.
Bini. Adm. Rev. Dom. Ioſeph Clemens.
Bondelmonti. Illuſtriſs. Dom. Ioſeph.
Borghigiani. Adm. Rev. Dom. Benedictus Maria Prior S. Stephani in Pane.
Borghigiani. Adm. Rev. Pater Vincentius Maria Ord. Praedicat.
Branchi. Perilluſtris Dom. Philippus.
Brandi. Perilluſtris Dom. Abbas Antonius Franciſcus.
Breſciani. Illuſtriſs. Dom. Benedictus Regiae Celſitudinis Mag. Etrur. Ducis Secretarius, & Bibliothecarius, &c.
Brocchi. Adm. Rev. Dom. Ioſeph. S. Theol. Doctor, & Seminarii Florentini Rector.
Bruni. Adm. Rev. Dom. Ioannes Baptiſta.
Canigiani. Illuſtriſs. Dom. Thomas Commendator S. Ioannis Ieroſolymitani.

Canini. Perilluſtris Dom. Cancellarius Caietanus I. V. Doctor.
Capaſſi. Reverendiſs. P. Gerardus ex Generalis Ordinis Servorum B. M. V.
Carneſecchi. Illuſtriſs. Dom. Franciſcus.
Cerretani. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Auguſtinus, Eccleſiae Metropolitanae Canonicus.
Chiari. Adm. Rev. Dom. Ioſeph
Civinini. Perilluſtris Dom. Ioannes Dominicus Doctor Medicus.
Collini. Perilluſtris Dom. Laurentius.
Compagni. Illuſtriſs. Dom. Ioannes.
Cremoncini. Adm. Rev. Dom. N N.
Da Galaſſo. Perilluſtris Dom. Philippus.
De Florentia. Reverendiſs. Pater Coſmus Antonius Ord. Min. Obſer.
Della Stufa. Illuſtriſs. & Clariſs. Senat. Marchio Sigiſmundus.
Del Monte. Illuſtriſs. Dom. Marchio Andreas.
Del Sera. Illuſtriſs. Dom. Aloyſius I. V. Doctor.
De Sancta Cruce. Reverendiſs. Pater Ioannes Ant. Commiſſarius Generalis Ord. Min. Obſ.
Doglioſi. Adm. Rev. Dom. Ioſeph Maria.
Dolci. Adm. Rev. Dom. Alexander Clericorum S. Ioannis Magiſter.
Dolci. Perilluſtris Dom. Xaverius Coſmus.
Doni. Illuſtriſs. Dom. Andreas Advocatus.
Fabri. Admod. Rev. Dom. Coſmus Plebanus S. Petri in Boſſolo.
Fabri. Perilluſtris Dom. Laurentius Doctor Medicus.
Fagiuoli. Perilluſtris Dom. Ioannes Baptiſta.
Fancelli. Adm. Rev. Pater Ioannes Petrus Prior Servorum B. M. V. Florentiae.
Federighi. Illuſtriſs. Dom. Ioannes.

Fe-

Feroni. Illuſtriſs. Dom. Marchio Franciſcus Antonius.
Fiacchi. Perilluſtris Dom. Cancellar. Franciſcus I. V. Doctor.
Ficini. Perilluſtris Dom. Antonius Franciſcus I. V. Doctor.
Finazzi. Perilluſtris Dom. Philippus.
Franceſchi. Illuſtriſs. Dom. Baro Franciſcus Eques D. Stephani.
Franchi. Adm. Rev. D. N N S. Theologiae Doctor, & in Seminario Florent. humaniorum Literarum Profeſſor.
Franchi. Adm. Rev. Dom. Nicolaus Severus I. V. Doctor.
Fratini. Adm. Rev. P. Dominicus Maria ex Minimis S. Franciſci de Paula.
Freſcobaldi. Illuſtriſs. Dom. Franciſcus.
Galilaei. Illuſtriſs. Dom. Philippus.
Galli. Illuſtriſſima Dom. Comes Catharina.
Gambaſſini. Adm. Rev. Dom. Thomas Plebanus S. Iuliani ad Septimum Proton. Ap. I. V. Doctor.
Gerini Bonciani. Illuſtriſs. D. Hieronymus.
Gherardi. Perilluſtris Dom. Cancellarius Caietanus I. V. Doctor.
Giraldi. Illuſtriſs. Dom. Ioannes Eques D. Stephani.
Giuntini. Perilluſtris D. Hieronymus Doctor Medicus.
Gondi. Illuſtriſs. & Clariſs. Dom. Senator Ioannes Franciſcus.
Gori. Adm. Rev. Dom. Antonius Franciſcus S. Theolog. Doctor, ac in Florentina Academia Hiſtoriae Profeſſor.
Gori. Perilluſtris Dom. Ioſeph Doctor Medicus.
Guicciardini. Illuſtriſs. Dom. Comes Franciſcus.
Guidi. Illuſtriſs. & Clariſs. Dom. Iacobus Senator, & Comes.

Lef-

Leſſi. Adm. Rev. Dom. Ioſeph.
Libri. Illuſtriſs. Dom. Laurentius.
Lucattelli. Adm. Rev. Dom. Bernardus S. Theologiae Doctor.
Luzzi. Perilluſtris Dom. Laurentius I. V. Doctor.
Magrini. Adm. Rev. Dom. Sanctes Prior S. Zenobii ad Catignanum.
Malaſpina. Illuſtriſs. & Clariſs. Marcellus Senator & Marchio.
Malaſpina. Illuſtriſs. Dom. Marchio Ioannes Franciſcus.
Manetti. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dom. Bonaiuncta Metropolitanae Eccleſiae Canonicus.
Manni. Perilluſtris Dom. Dominicus Maria Stroctianae Bibliothecae Bibliothecarius, & Etruſcae Linguae in Semin. Florent. Lector.
Mannini. Perilluſtris Dom. Octavius.
Marchi. Perilluſtris Dom. Franciſcus Doctor Medicus.
Marchionni. Illuſtriſs. Dom. N N.
Martelli. Illuſtriſs. Dom. Nicolaus Bailivus Divi Stephani.
Martellucci. Perilluſtris Dom. Ioannes Baptiſta.
Martini. Admod. Rev. Dom. Antonius.
Martini. Perilluſtris Dom. Hieronymus.
Mataſſi. Adm. Rev. Dom. Ioannes Baptiſta.
Mazzei. Adm. Rev. Dom. Petrus Maria Prior S. Martini de Gangalandi.
Mazzei. Adm. Rev. P. Lector Ioſeph Maria Carmelita.
Mellini. Adm. Rev. Dom. Alexander.
Minerbetti. Illuſtriſs. Dom. Horatius Eques Divi Stephani.
Monaldi. Adm. Rev. Dom. N N. Plebanus S. Petri in Mercatu.

Moniglia. Illuſtriſs. Dom. Ioſeph Andreas Publicus Iuris Pontificii Profeſſor.
Morandini. Perilluſtris & Rev. Dom. Ioſeph Maria.
Moroſi. Adm. Rev. Dom. Alexander.
Neri. Adm. Rev. Dom. Romulus Prior S. Bartholomaei a Quarata.
Nobili. Illuſtriſs. D. Ioannes Laurentius.
Niccoli. Perilluſtris & Rev. Dom. Raimundus.
Niccolini. Illuſtriſs. Dom. Marchio Antonius.
Paoli. Adm. Rev. P. Thomas Maria, ex Miniſtris Infirmorum.
Paperini. Illuſtriſs. Dom. Bernardus Aurei Calcaris Eques.
Paſquali. Illuſtriſs. Dom. Coſmas Eques D. Stephani.
Paſquali. Illuſtriſs. Dom. Ioſeph.
Patriarchi. Adm. Rev. Dom. Petrus.
Pellegrini. Adm. Rev. Dom. Petrus.
Peruzzi. Illuſtriſs. Dom. Simon Bindus in Academia Florentina Etruſcae Linguae Profeſſor.
Peſcetti. Adm. Rev. Dom. Aſcanius Plebanus S. Romuli ad Gavillas.
Picchianti. Adm. Rev. Dom. Philippus Plebanus S. Petri ad Ripolim.
Pigri. Perilluſtris D. Cancellar. Angelus I. V. Doctor.
Pittoreggi. Adm. Rev. Dom. Franciſcus Prior S. Bartholomaei ad tres Sanctos.
Pomi. Perilluſtris Dom. Hyacinthus.
Popoleſchi. Illuſtriſs. Dom. Rodulphus Eques Divi Stephani.
Poſtini. Perilluſtris Dom. Vincentius.
Pucci. Illuſtriſs. & Clariſs. Dom. Laurentius Senator, & Marchio.
Querci. Illuſtriſs. Dom. Stephanus Advocatus.
Ricci. Illuſtriſs. Dom. Vincentius.

Ri-

Ridolfi. Illuſtriſs. Dom. Ioſeph Marchio.
Rota. Illuſtriſs. Dom. Philippus Advocatus.
Ruota. Adm. Rev. Dom. Ioannes Baptiſta Monachus Caſſinenſis.
Saller. Perilluſtris Dom. Cancellarius Petrus I. V. Doctor.
Salvatici. Perilluſtris Dom. Lucas Antonius.
Salvemini. Perilluſtris Dom. Cancellarius Ioannes Franciſcus I. V. Doctor.
Salvini. Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Salvinus, Eccleſiae Metropolitanae Canonicus.
Sandonnini. Illuſtriſs. Dom. Comes Iachinus I. V. Doctor.
Sarchi. Illuſtriſs. Dom. Ioannes Dominicus I. V. Doctor.
Saſſi. Illuſtriſs. Dom. Martialis.
Senſi. Perilluſtris Dom. Ioſeph Doctor Medicus.
Serriſtori. Illuſtriſs. Dom. Andreas.
Squarcialupi Minerbetti. Illuſtriſs. Dom. Aleander.
Tartaglia. Adm. Rev. Dom. Iacobus.
Tazzi. Perilluſtris & Rever. Dom. Dominicus.
Tofanari. Adm. Rev. Dom. Franciſcus.
Torrigiani. Illuſtriſs. Dom. Marchio Ioannes Vincentius.
Toſi. Adm. Rev. Dom. Caietanus.
Taviani. Adm. Rev. Dom. Sanctus.
Veneziani. Adm. Rev. Dom. Caietanus.
Veraci. Adm. Rev. Dom. Petrus.
Veracini. Adm. Rev. Dom. Thomas.
Vernaccia. Illuſtriſs. Dom. Dominicus.
Vghi. Illuſtriſs. Dom. Petrus Vicedominus perpetuus Archiepiſcopat. Florentin.
Vguccioni. Illuſtriſs. Dom. Antoninus.
Vguccioni. Illuſtriſs. D. Ricoverus Eques D. Stephani.

Vguc-

Vguccioni. Illuſtriſs. & Clariſs. Dom. Senator Ioannes.
Vinci. Perilluſtris Dom. Petrus I. V. Doctor.
Vitelli. Adm. Rev. P. Fulgentius Ord. Min. Obſer.
Zanobetti. Perilluſtris Dom. Paulus.
Zagri. Illuſtriſs. Dom. Philippus.
Zerli. Adm. Rev. Dom. Franciſcus Sac. Theolog. Doctor, & in Seminario Florent. Philoſophiae Profeſſor.

GENVAE.

Borgo. Perilluſtris Dom. Nicolaus.

LIBVRNI.

Gentili. Reverendiſs. Dom. Pamphilus Canonicus Collegiatae Eccleſiae & I. V. Doctor.
Mornini. Perilluſtris Dom. Arnaldus.
Reverendiſſimi Patres Trinitarii.

MONTE POLITIANO.

Samuelli. Illuſtriſſimus Dominus Abbas Claudius Eques D. Stephani.

MVTINAE.

Graſſetti. Illuſtriſs. Dom. Thomas.
Molinari. Perilluſtris Dom. Rupertus I. V. Doctor.

PIENTIAE.

Ciani. Reverendiſs. Dom. Ioan. Baptiſta Canonicus Cathedralis Eccleſiae I. V. Doctor.

PISAVRI.

Brigi. Illuſtriſs. Dom. Franciſcus Maria.
De Abbatibus Olivieri. Illuſtriſs. D. Annibal.

PISCIAE.

Baldaſſeroni. Perilluſtris Dom. Ioannes I. V. Doctor.
Flori. Illuſtriſs. Dom. Antonius Eques D. Stephani.

PISTORII.

Gori. Perilluſtris Dom. Ioſeph Paulus.
Sozzifanti. Illuſtriſs. Dom. Octavius Eccleſiae Cathedralis Canonicus.
Tani Comandi. Perilluſtris Dom. Franciſcus Maria Doctor Medicus.

PRATI.

Bettazzi. Adm. Rev. Dom. Iacobus Plebanus.
Bianchini. Adm. Rev. D. Ioſeph Plebanus I. V. D.

ROMAE.

Acciaiuoli. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Praeſul Philippus Proton. Apoſt. &c. Florentinus.

Bo-

Bonaccorſi. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Praeſul Simon Maceratenſis, Ferrariae Vicelegatus.
Feroni. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Praeſul Ioſeph Maria Archiep. Damaſcenus, Sac. Congregat. Immunit. Eccleſ. Secretarius, Canonicus S. Ioannis in Laterano, Abbas S. Galgani, Florentinus.
Moraldi. Illuſtriſs. Dom. Ioſeph Auditor Nuntii Apoſtolici Florentiae.
Riccardi. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Praeſul Franciſcus Maria Protonot. Apoſtol. Florentinus.
Stoppani. Illuſtriſs. Excellentiſs. & Reverendiſs. Praeſul Ioannes Franciſcus Archiep. Corinthi Apoſtolicus apud Magnum Etruriae Ducem Orator, Mediolanenſis.

SANCTA CRVCE.

Scaramucci. Perilluſtris Dom. Hippolytus I. V. Doctor.

SANCTO MINIATE.

Gucci. Perilluſtris Dom. Carolus Epiſcopalis Curiae Cancellarius.

S E N I S.

Borgheſi. Illuſtriſs. Dom. Ioannes.
Careggio. Adm. Rev. P. Petrus Thomas, Carmelita.
Lami. Adm. Rev. P. Magiſter, & Prior, Aloyſius Dominicus, Carmelita.

Mar-

Martinozzi. Illuſtriſs. Dom. Fulvius Eques D. Stephani.

Maſini. Adm. Rev. P. Magiſter Ioannes Baptiſta Carmelita.

VENETIIS.

Mitarelli. Adm. Rev. Dom. Ioannes Benedictus Monachus Camaldulenſis Lector in Coenobio S. Michaelis.

Tiepolo. Excellentiſſima N. Dom. Angela.

VTINI.

Freſchi. Illuſtriſs. Dom. Comes Carolus.

Illorum vero nomina, qui in hoc Album referri in poſterum volent, voluminibus inſequentibus eodem ordine recenſebuntur, editis opportune Catalogi huius ſupplementis. Nondum enim viris litterarum fautoribus id expetituris aditus praecluſus eſt.

IO. LAMI
DE
MICHAELE GLYCA
EIVSQVE SCRIPTIS
DISSERTATIO.

ICHAEL cognominatus est *Glycas*, quod ex *Glycetarum* familia esset, ut versus, qui in variis Codicibus ejus Annalium MSS. occurrunt, manifeste indicant: in iis enim habetur:

Ὃς ἐκ γένους ἔσχηκε γλυκερᾶς λάχος
Ὁ συγγεγραφὼς Μιχαὴλ τὸ βιβλίον.
Qui ex genere habuit Glycetarum sortem
Is, qui conscripsit, Michael, hunc libellum.

Quare fallitur *Io. Alb. Fabricius*, qui cognomen illud ab eo adscitum, quum monasticum habitum induisset, nullo antiquitatis monumento, nulla historiae fide, arbitratur.

Siculus autem natione fuit, quod ex Codicibus MSS. elucet: eum enim Σικελιώτην conſtanter adpellant, ut eruditiſſimus *Phil. Labbeus* in Annalium *Glycae* Praefatione teſtatur. Nec abluderet τοῦ γλυκᾶ cognomen, ſi qua is vixit aetate, Siculos Dorica adhuc dialecto uſos fuiſſe conſtaret; quod tamen cur non credamus nulla cauſa ſubeſt. *In Calabria enim, & in aliis Neapolitani regni regionibus, atque in Sicilia, ad proxima uſque ſaecula Graeca lingua obtinuit, ut non plebeio ſolum uſu, ſed etiam Eccleſiaſtico, in officiis ſuis Graeca lingua frequentaretur, donec Sixti IV juſſu ac decreto, omnibus ut Latine perſolverent officia proviſum eſt*; quae ſunt verba doctiſſimi *Montisfalconii Diar. Ital. Capite XV.* Simile tamen cognomentum etiam Byzantii fuit; nam *Ioannes Glycys* Byzantinus, huius urbis Patriarcha, claruit Anno MCCCXVI, de quo videndus *Rob. Gerius Append. ad Hiſt. Litter. Script. Eccleſ. Gul. Cavei*: quamquam *Ioannes Glycas*, *Dufreſnio* dicitur.

Privatus an in Magiſtratu, laudatus *Labbeus* inquit, *aut dignitate aliqua publica, militari, aulica, forenſive ornatus; coniugatus, an caelebs vixerit, plane neſcio: nec adſperſa ſingulis fere paginis* υἱοῦ, τέκνου, καὶ ἀγαπητὲ *vocabula, patrem potius, quam* ſe-

ſeniorem ac magiſtrum, diſcipuli aut amici juvenis gratia opus illud elucubrantem, deſignat. Grammaticum tamen profeſſione fuiſſe argumento eſt inſcriptio Epiſtolae primae, ut in Codice Riccardiano, quo uſi ſumus, habetur; quae quidem ea eſt quae ſequitur: Γραμματικῷ Μιχαὴλ τῷ γλυκᾷ τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ καὶ συλίτῃ κυρῷ Ἰωάννῃ τῷ σιναΐτῃ κτλ. *Michaelis Glycae Grammatici, ad maxime venerandum Monachum, & Stylitam Ioannem Sinaitam &c.* Quod quidem Grammatici nomen profeſſionis eſſe non eſt cur dubitemus, & quod, etiam poſtquam Monaſticam vitam amplexus eſſet, retinere potuit; ſiquidem eam umquam amplexus eſt: nam, ut dixi, omni hiſtoriae auctoritate deſtitutus id, una cum *Fabricio*, quis crederet. Et quidem Monachi paſſim, aliique in eminenti dignitate conſtituti, ſuper Theologicis, graviſſimiſque controverſiis, eum conſulebant, ut ex Epiſtolis, ſeu Diſſertationibus, quas edimus, certum exploratumque eſt. Quis autem facile opinetur, hominem ſacris & caſtioris alicuius ſectae inſtitutis minime addictum, ſed e medio populo, quum tot Epiſcopi, Eccleſiaſticique praeceptores, vulgo ſuppeterent, ab eis in Religionis, dogmatumque Chriſtianorum, negotio, conſultum adeo frequenter fuiſſe? Non me quidem

latet, mere etiam laicos aliquando in Ecclesia docuisse, & habuisse conciones, ut ex *Eusebio* de Origene adhuc iuvene liquet; & Prosper Aquitanus, multa, quae ipsis Ecclesiastici ordinis Magistris ardua, & salebrosa, videri poterant, in re Theologica docte, & praeclariter, pertractavit; attamen isthuc ipsum in re tam obscura & ambigua nescio quid subspicionis inducere dissimulandum haudquaquam existimo. Confirmari id etiam posset animadvertendo in Codice Caesareo Κυρὸν *Glycan* adpellari; quo vocabulo contracto Monachi praesertim, sequioribus saeculis, indigetabantur: non secus quidem atque nos *Domnos* Monachos honoris caussa nuncupamus, quod latius ac dilucidius in scholiis ad Dissertationem primam expedimus, & classicorum Scriptorum testimoniis in medium adductis comprobamus. Quid quod Codex MSS. Annalium *Glycae* Vallicellanus hujusmodi titulum praefert? Τοῦ λογιωτάτου καὶ μακαριωτάτου κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ γλυκᾶ χρονικὸν, κτλ. *Eloquentissimi, & beatissimi domni Michaelis Glycae Chronicon &c.* qui forte non tam morum probitatem, & sanctitudinem, quam Monasticam professionem, designare posse videatur. Codex quoque Monasterii Fontisebraldensis paucis mutatis sic incipit: τοῦ σοφωτάτου καὶ μακαριωτάτου *&c. Sapientissimi, & beatissimi &c.*

Quid-

Quidquid autem ſit, illud exploratae fidei eſt, Virum hunc litterarum ſtudiis maxime deditum, φιλόπονον καὶ φιλομαθῆ, fuiſſe, cunctiſque adeo fere diſciplinis eruditum: paſſim enim in ſuis operibus Theologum ſimul, ſacrarum litterarum interpretem, Medicum, naturaliſque ſcientiae indagatorem ſolertiſſimum, peritiſſimumque ſe prodit Hiſtoricum. Nec eloquentiae quidem laude caret, & facili quadam ac plana dicendi ratione Lectorem oblectat, ac detinet, ita ut eloquentia cum ingenii felicitate certare videatur. Itaque ob ejus doctrinae praeſtantiam merito λογιώτατος καὶ σοφώτατος adpellatus eſt, ut ex ejus Epiſtolarum generali inſcriptione in Codice Caeſareo apud *P. Lambecium Cod. Theolog. CLIX.* intelligitur, eſt enim ea, quae ſequitur: τοῦ σοφωτάτε καὶ λογιωτάτου Μιχαὴλ τοῦ γλυκᾶ κτλ. *Sapientiſsimi, & eloquentiſsimi Michaelis Glycae &c.* & ex inſcriptionibus Codicum Annalium Vallicellani, & Fontisebraldenſis, quas paulo ſuperius attulimus. Et quidem in magna ob doctrinam exiſtimatione fuiſſe indicant etiam luculenter ejus epiſtolae, quae Monachis paſſim, aliiſque, qui eum de quaeſtionibus difficillimis conſulebant, mittuntur, ut per ea tempora omnes fere ad eum doctrinae cauſſa, ſeu acceſſu, ſeu litteris, confluxiſſe videantur.

Qua aetate *Glycas* noſter vixerit, poſt novam eruditiſſimi *Leon. Allatii* opinionem, quam *Caſim. Oudinus* ſuo calculo comprobat, in ſententiis eſt. Plerique tamen omnes Saeculi XII Scriptorem eum exiſtimant, *Io. Zonarae*, *Georgii Cedreni*, *Conſt. Manaſſis* σύγχρονον, aliorumque ſimilium. Et quidem ſuam hiſtoriam, quam ab orbe condito exorditur, uſque ad obitum Alexii Comneni, & annum Chriſti MCXVIII, deducit. Heinc *a G. Io. Voſſio Lib. II. De hiſtor. Graec. Cap. XXVII* ad annum MCXX refertur; quemadmodum & a *Guliel. Caveo in Hiſt. Litter. Script. Eccleſ. Ph. Labbeo* veriſimile eſt, eum circa annum MCL floruiſſe: cui epochae alii quoque adſtipulantur, ſi *Allatium* & *Oudinum* laudatos exceperis. Ille enim *Glycam* ſaeculi XV Scriptorem eſſe, & anno MCCCCXXX ac deinceps claruiſſe, pertendit, ratioque, qua innititur, eſt, quod ex Glycae epiſtolis plures ad Maximum Smeniotem, & Eſaiam Cyprium Monachum, qui tunc temporis vivebant, ſcriptae ſunt. *Oudinus* addit *Glycae* ſyntagma hiſtoricum olere Graeciam recentiſſimam, quod ille vel morte vel negotiis occupatus ultra annum MCXIIX non extenderit. Itaque iuxta memoratos Scriptores *Glycas* σύγχρονος fuiſſet *Macarii Ancyrani Metropolitae*, *Nicolai Sclengiae*, *Io. Ducae*, aliorum-

rumque hujus aetatis virorum, qui lucubrationibus editis nomen ſuum poſteritati commendaverunt. Verum id, quod litem omnem dirimit, ſunt Epiſtolae *Glycae* XXXV, XXXVI, & XXXXI, quae ad Imperatorem Conſtantinum Palaeologum ſcriptae ſunt; conſtat autem ex verioribus Chronologis Conſtantinum Palaeologum non ante annum MCCCCXXXXV, vel iuxta alios MCCCCXXXXVIII imperium ſuſcepiſſe Orientis, quod anno MCCCCLIII, in Conſtantinopolitana clade extinctus, amiſit, quum annis VIII, vel iuxta alios V, etſi non integris, imperaſſet. Iam memoratarum Epiſtolarum inſcriptiones in alio volumine una cum aliarum titulis adferemus, & ex iis veritas illa, quam adſtruimus, evidenter elucebit. *Carol.* quidem *Dufreſnius* Vir doctiſſimus, in Praefatione, quam operibus *Io. Zonarae* praemiſit, quum in eam ſententiam diſceſsiſſet, quae vult haſce Epiſtolas eſse *Io. Zonarae* foetum, ut evincat eas, vel earum ſaltem aliquas, eſse ſcriptas ea aetate, qua ille vivebat, clarum perſpectumque eſſe ait, nonnullarum auctorem, ſi non omnium, vixiſſe ſub Manuele Comneno: nam Epiſtolam XXXVIII in indice Lambeciano Manuelis Comneni Imperatoris eſſe arbitratur, quare & ſubſequens *Antapologeticum*, quod quidem ſtatim ſubditur in Codice

Caeſareo & in Regio Pariſienſi, eodem tempore ſcriptum eſſe infert. Eam aetatem etiam arguit ex viris primariis Aulae Conſtantinopolitanae, quibus aliquot Epiſtolae inſcribuntur: atque in iis Ioanne Duca Magno Hetaeriarcha & Sebaſto, cuius prae ceteris mentio occurrit apud *Nicetam* in *Alexio Manuelis F.* & Manuele Comneno Sebaſto Oratore, qui non alius eſt ab eo, cuius pariter *Cinnamus* meminit *Lib. V.* Sed recte obſervat *Caſ. Oudinus* falſum eſſe *Dufreſnium*, dum cenſuit Epiſtolam XXXVIII ad Alypium Monachum eſſe Manuelis Comneni, quum vere *Glycae* ſit Monachum illum ab Aſtrologiae ſtudio dehortantis: concedit tantum *Antapologeticum* eſſe Manuelis Comneni, cujus quidem nomen praefert, & numero XXXVIIII collocatur. Quum enim Alypius in Aſtrologiae ſtudium toto pondere ferretur, nec *Glycae* conſiliis & hortationibus adquieſceret, ut ſtudium ſuum defenderet, nihil ipſe regeſſit, ſed aliena ſcriptione uſus eſt, mittens pro reſponſione *Antapologeticum* Manuelis Comneni ab annis circiter CCC in gratiam Aſtrologiae, qua delectabatur, conſcriptum; vel alium Manuelem Comnenum fuiſſe ſubſpicatur. Ad ea vero quae *Dufreſnius* de primariis Aulae Conſtantinopolitanae viris adducit, ita laudatus *Oudinus* reſpondet: *Non*

his

his nominibus veteres hi intelliguntur, ſed recentiores ejusdem nominis, & dignitatis, qui anno circiter MCCCCL in Imperio Orientali ſub Conſtantino Palaeologo, ultimo Graecorum Imperatore, dignitatibus his fungebantur: ut conſtat ex Ioanne Duca, cujus hiſtoriam in manibus habemus: qui Michaelis Glycae σύγχρονοι quum fuerint, ad illos epiſtolas dediſſe nihil mirum videbitur. Atque ita quidem ille. Et, ut videtur, *Io. Ducas*, ille idem eſt, qui ſcripſit hiſtoriam Conſtantinopolitanam, quando Conſtantinopolis a Mahumete II Turcarum Rege expugnata eſt, eaque illis imperii eſſe ſedes coepit, quod fuit anno Hegirae DCCCLVII, Chriſti autem MCCCCLIII, quo vivebat ille *Ducas* ex inclita Ducarum familia oriundus. Hic de geſtis Turcarum adverſus Graecos, & Conſtantinopoli ſubacta, commentarius exſtat MSS. Graece in Bibliotheca Chriſtianiſſimi Francorum Regis, quem una cum interpretatione ſua Latina *Iſm. Bullialdus* in corpore Byzantinae hiſtoriae edendum curavit, & de quo *Ger. Io. Voſſius Lib. IV. de Hiſtor. Graec. Cap. XIX.* Exſtant inter Epiſtolas *Michaelis Glycae* Epiſtolae duae ad hunc Ioannem Ducam nempe XXI & LII. De Ioanne autem Duca plura videnda apud *Caſ. Oudinum* ad annum MCCCCLX, & in *Io. Zonara*.

Ope-

Opera, quae *Glycas* ſcripſit, ſunt in primis Annales, Patriarcharum, Regum, atque Imperatorum res geſtas, hiſtoriamque omnem Iudaicam, Romanam, ac Conſtantinopolitanam, ita complectentes, ut eodem contextu controverſas inter Theologos, Philoſophoſque, quaeſtiones agitaverit, ac de rebus omnibus, quae in Coelo, Aere, Terra, ac Mari, fiunt, de avibus, piſcibus, animalibus, homine, atque Angelis, diſſeruerit, ſequutus veterum Patrum *Euſtathii*, *Baſilii*, *Nyſſeni*, *Chryſoſtomi*, *Sinaitae*, *Piſidae*, aliorumque veſtigia ac pene verba: qui quidem omnes opus ſex dierum, quod Graeca voce Hexaemeron dicere ſolemus, ſingulari diligentia concinnarunt. Sed quia notatur a *Th. Dempſtero Lib. I. Paralip. ad Roſinum Cap.* 1. quaſi leges hiſtorico praeſcriptas non ſervaverit, heic tempeſtive deſcribenda videntur verba *Leunclavii* Prooemio in *Glycae* Annales: *Quod ſi quis arbitratur*, inquit, *hiſce de rebus minime diſſerendum vel in hiſtoria, vel in adnotatione temporum: is ſciat, primum haec junioribus eſſe perſcripta, quorum animos rectis ſententiis (ut paulo ante ſignificabamus) imbui permagni refert. Deinde velim Glycae noſtro vel illam ob cauſſam ſit aequior, quod pleraque non ita prolixe, nec confuſe, tradiderit, ut Cedrenum & alios factitaſſe videmus: qui com*

pen-

pendia quaedam promittentes, volumina prorſus ingentia, quaeque ſine taedio perlegi nequeunt, poſteris reliquere. Huius Operis titulus in Codicibus Vallicellano, & Fontisebraldenſi ita habet: Τοῦ λογιωτάτου καὶ μακαριωτάτου κυροῦ Μιχαὴλ τῆ γλυκᾶ χρονικὸν ἀπὸ κτίσεως κόσμε συνοπτικόν, διεξιὸν κατ' ἐπιτομὴν περίτε τῆ ὑρανῆ καὶ τῆς γῆς, περίτε τοῦ φῶτος αὐτῆ, καὶ πάντων ἁπλῶς τῶ ὑπὸ θεοῦ δημιυργηθέντων ἐν ἡμέραις ς'. περίτε τῆς πλάσεως τῆ Ἀδὰμ, καὶ τῶ λοιπῶν καθεξῆς. *Eloquentiſſimi, & beatiſſimi domni Michaelis Glycae Chronicon compendiarium ab orbe condito, breviter percurrens ea, quae attinent coelum, & terram, lucemque ejus, & omnia, ut uno verbo dicam, a Deo ſex diebus fabrefacta, Adamique fictionem, & cetera, quae deinceps contigerunt.* Sequuntur aliquot verſus cum titulo: στίχοι ἰαμβοι εἰς τὴν παροῦσαν βίβλον. *Verſus Iambi in praeſentem librum.* Qui quidem integre & emendate leguntur in Codice Claromontano, & quibusdam aliis, & ſunt qui ſequuntur.

Βίβλος χρονικὴ σύνθεσις τεχνεργίας
Εἰς τὸ γλυκὺ σύνταγμα χεθῆσθεῖσα
Ἔργοις παρέστω κλῆσις ἡ γεγραφότος
Ὃς ἐκ γένους ἔσχηκε γλυκερῶ λάχος
Ὁ συγγεγραφὼς Μιχαὴλ τὸ βιβλίον
Θειῶν λόγων ἔννοιαν περιλαμβάνων.

Liber

Liber chronicus, compoſitio artificii
In dulcem contextum concinnata,
Re adeſto adpellatio ejus, qui ſcripſit,
Qui ex genere habuit Glycetarum ſortem,
Ille ſcilicet, qui conſcripſit, Michael, libellum,
Divinorum ſermonum intelligentiam comprehendens.

Omnium primus *Glycae* annales in Latinam linguam a ſe converſos edidit *Io. Leunclavius* Amelburnus, & eos quidem in quatuor partes diſtributos *Philip. Labbeus* deinde una cum primigenio textu Graeco, caſtigationibus, variantibus lectionibus, ſcholiis, & ſupplementis, Lutetiae Pariſiorum publici juris fecit. *Io. Meurſius* tertiam iſtorum Annalium partem ſeparatim edidit, ſub Hiſtoriae Romanae titulo, cum ſua Latina interpretatione & ſcholiis, & *Theodoro Metochitae* perperam attribuit. Qua de cauſa ita vir doctus falſus ſit, & multos in fraudem induxerit, difficile eſt expiſcari. Niſi forte a Graeculo quodam deluſus eſt, qui ipſi hoc *Glycae* fragmentum, aut *And. Schotto*, a quo ſe accepiſſe fatetur, tamquam a *Theod. Metochita* concinnatum, venditaverit: ſive poſſeſſoris nomen, quod titulus Θεοδώρου Μετοχίτου praeferebat, in veri Auctoris, quae, ut fere fit, in MS. forte deerat, adpellationem tranſierit.

Prae-

Praeter Annales ſcripſit *Glycas* Epiſtolas plurimas, interrogatus a diverſis ſuper variis quaeſtionibus Theologicis, dubiiſque ad coeleſtium Scripturarum enarrationem reſolvendis; quas ſolita dicendi facilitate, & multiiugis eruditionis illecebra, & amoenitate, conſcripſit. Quae quidem earum exſtant, quod ſciam, LVI numerum explent. *Lambecius* tamen in *Codice Theolog.* CCXXXIII. *Lib. V. Comm.* obſervat in hoc Codice aliter Epiſtolas *Glycae* diſponi, tam numero, quam ordine, adeo ut ea, quae in aliis Codicibus eſt XXXV, in hoc Codice ſit LXIIII & ultima. Hae omnes enim quinque Codicibus MSS. Bibliothecae Caeſareae continentur, ut apud *Pet. Lambecium Codicib. Theolog.* CLIX. CLX. CCXXXII. CCXXXIII. & CCCXXXIII videre eſt. *Glycae* quidem Epiſtolae magno in pretio habitae ſunt a Viris doctis, & plerique etiam publici iuris facere conati ſunt; ſed vel integris Codicibus deſtituti, vel morte praeventi, vel alia de cauſa impediti, id praeſtare non potuerunt. Earum quidem Codicem *Georg. Douſa* Conſtantinopoli attulerat, ſed recenti, & parum fida, manu, ut ipſe teſtatur, exſcriptum: immo & mutilum interdum, ut ex Epiſtola XIII, quam ex eo Codice *Bon. Vulcanius* edidit, patet. Nam *Bon. Vulcanius*, quum *Douſae* Codicem nactus eſſet, tres ex illis Epiſto-

ſtolis edidit una cum ſua Latina interpretatione in Notis ad *S. Cyrillum Contra Anthropomorphitas*, quum interim omnium harum Epiſtolarum editionem meditaretur, ut in laudatis Notis adfirmat. Tres autem Epiſtolae, quas typis mandavit *Vulcanius*, ordine ſunt X. XIII. XXXII. *Iac.* quoque *Pontanus* duas ex hiſce litteris, quas ab *Andrea Schotto* habuerat, Latine a ſe converſas excudendas curavit, quae hodie in *Maxima Patrum Bibliotheca*, & in Annalium *Glycae* editione Pariſienſi a *Philippo Labbeo* adornata, habentur; ſed nec textum Graecum adpoſuit, & alterius vix dimidia pars eſt, quam edidit, adeo mancum & detruncatum fuiſſe oportet Codicem, quo uſus eſt. Tandem *Leo Allatius De Conſenſu utriuſque Eccleſiae. Contra Creigthonem. De Libris Eccleſiaſticis Graecor. Lib. de Purgator. & Lib. adverſus Hottingerum*, haſce epiſtolas ſaepe laudat, & fragmenta plurima, nec contemnenda quidem, earum adducit; immo in quibusdam locis, nonnullas etiam integras deſcribit.

Nos igitur horum virorum praeſtantiſſimorum propoſitum laudabile ſequuti, nonnullas *Glycae* Epiſtolas in lucem edere animum induximus, noſtraeque *ἀνεκδότων* Collectionis velut in ipſa fronte conſtituere; cum ob argumentum nobile, & excellens, utpote Theologicum; tum in memorato-

rum

rum Scriptorum laudis & venerationis argumentum. Quum enim in MS. Bibliothecae Riccardianae, cui praeſum, Codicem quintodecimo quidem, ut videtur, ſaeculo, ſed egregie, exacteque, deſcriptum incidiſſem, quo harum Epiſtolarum quatuordecim continentur, has ſaltem publico non invidere mecum ipſe deliberavi, adeoque exſcripſi mea manu diligenter, & in Latinam linguam ſedulo pro virili, accurateque, converti. Huius autem meae editionis ſpecimen dederam in Appendice illorum Commentariorum, quibus *De recta Chriſtianorum in eo, quod Myſterium Divinae Trinitatis attinet, ſententia* titulum feci, memoratarum Epiſtolarum tertia Graece ac Latine publici iuris facta: ibique iam me olim ceteras quoque, quas habuiſſem, editurum receperam: quare nunc fidem libero. Inter has quidem non eas tantum proferam, quae *ἀνέκδοτοι* ſunt, ſed ut opus perfectum & abſolutum, quoad fieri poteſt, exſiſtat, iis ſuo loco & illas, quae ab aliis editae fuerunt, interſeram: fragmenta etiam, undecumque corradere licuerit, adiiciam: & ubi plus praeſtare non dabitur, ſaltem reliquarum nudos titulos, ut eos *Lambecius* recenſet & exhibet, in medium adducam. Quamquam & eas, quae alias editae fuere, *ἀνεκδότους*, & nunc primum, in publicum pro-

prodire viſum iri prudentioribus ſpero; nam vel exactiores, & emendatiores; vel integriores; vel primigenia ſua lingua, qua exaratae fuerunt, emittentur. Ecce enim *Pontanus* Latine tantum, alteramque mutilam excudit: ipſe Graecum contextum adponam, & quaecumque deſunt ex Codice Riccardiano ſupplebo. *Bonavent. Vulcanius* Graece quidem ac Latine ſuas vulgavit, ſed mendoſo Codice uſus, unam etiam ἀκέφαλον edere coactus eſt: in hac editione & emendatae omnes, & integrae, perlegentur. Denique fragmentis earum, & titulis, illud novi ſaltem accedet, quod cum Latina interpretatione prodibunt. Adde quod opportuna ſcholia identidem adſcripſimus, & perpetuum prope commentarium attexuimus. Id quod novum ſaltem erit in iis, quas *Leo Allatius* edidit: nam eas & Graece & Latine, & caſtigatiſſimas, quae fuit viri diligentia & eruditio, evulgavit. Non quod noſtri propoſiti pars ſit, adeo frequentia, & prolixiora etiam, ſcholia ad ea opera, quae in Collectione noſtra publici iuris facturi ſumus, commentari: ſed in editione harum Epiſtolarum id neceſſarium eſſe arbitratus ſum. Quum enim *Glycas* noſter ſequioribus ſaeculis vixerit, & quando Graeci homines ſine nugis, & ineptiis, vix quidquam ſcribere adgreſſi ſunt, eius opinionum

li-

licentiam, & τὸ παράδοξον, compeſcere interdum oportuit, ac certis fraenis coercere, Theologorum melius ſapientiuſque opinantium conſulta, e regione, ut ita dicam, ſtatuendo, tamquam adverſus eum aciem inſtructiſſimam, atque ita legentium rectae ſententiae, & ſecuritati, conſulere. Non enim ſemper optimas, rataſque ſententias, & antiquorum Patrum placita, ſeligere & amplexari videtur; ſed de regia opinionum via ita quaedam ad divortia deflectere aliquando, ut facile poſſit a delicatioribus quibusdam novitatis & αὐτομολίας inſimulari. Ad hoc igitur ſaltem meae obſervationes inſervient, ut recta *Glycae* ſententia apertius dilucidiuſque percipiatur, & non facile cuiuſcumque criminationibus, in his, in quibus minime meretur, obnoxius evadat. In quibuſdam excuſari aut defendi non poteſt, utpote Graeci ſchiſmatis homo, & erraticarum illius gentis opinionum aliquando propugnator, ut oſtendetur inferius. Non tamen ideo ſpernendus Auctor hic videatur, nam & ex his ſequioris aevi Scriptoribus Graecis magnam Catholicae Eccleſiae utilitatem provenire cognoſcitur, ſive ut hiſtoria Eccleſiaſtica locupletior exactiorque habeatur: ſive ut Graeci ſchiſmatis errores facilius refellantur: ſive ut noſtrorum temporum Sectarii falſarum opinionum, certorumque delira-

mentorum, rei manifeſte revincantur : id quod aperte elucet ex *Io. Morini*, *Leon. Allatii*, *Pet. Arcudii*, *Fr. Combefiſii*, aliorumque doctiſſimorum hominum lucubrationibus, quos inter memorandus praecipue *Nicol. Comnenus Pappadopolus*, qui anno MDCXCVII librum typis mandavit Patavii, ita inſcriptum: *Praenotiones Myſtagocicae ex Iure canonico, ſive Reſponſa ſex, in quibus una proponitur Eccleſiae utriuſque, Graecae, & Latinae, ſuffragium de iis, quae omnino praemittenda ſunt ordinibus ſacris, atque obiter & Graecia adverſus calumniatores defenditur, & praecipuae Photianorum ineptiae refelluntur.* Ibi innumeri Scriptores Graeci, proximioris praeſertim aetatis, in medium adferuntur, qui maxima pars ignoti nobis erant, ut ſcribit praeſtantiſſimus *Monsfalconius Diar. Ital. Cap.* XXVIII.

Ceterum nunc monendum eſt, in quibusdam Codicibus haſce Epiſtolas non *Michaeli Glycae*, ſed *Io. Zonarae* tribui, ut in Codice Regio, cujus meminit *Dufresnius*, quamquam recentiori manu ſcripto, anno ſcilicet Mundi iuxta Graecos MMMMMMDCCCCLXXXXVI (Chriſti MCCCCLXXXVIII) Indict. VI. Huncenim titulum praefert: Ἐπιστολαὶ κυρῦ Ἰωάννου Ζωναρᾶ καὶ πρωτοασηκρήτις καὶ Δρουγγαρίου τῆς Βίγλης. *Epiſtolae Domni Ioannis Zonarae, & Protoaſecretis, & Praefecti Vigilum. Zonarae* quoque has Epiſtolas adſcribebat Codex,

dex, quem *Georg. Douza* Conſtantinopoli attulerat, exſtatque modo in Bibliotheca Lugduno-Batava; quare & illae, quas ex eo edidit *Bonav. Vulcanius*, eidem *Zonarae* tribuuntur. *Zonarae* pariter vindicat Index Graecorum librorum ex Codice MS. Regio 2813. *Philippus* quoque *Labbeus Tom. I. de Scriptor. Eccleſ* in *Georg. Cedreno* haſce Epiſtolas *Zonarae* potius eſſe exiſtimat, quas exſtare tantum numero XLVI adfirmat, & ſubſpicatur eis additas aliquot fuiſſe alicuius Scriptoris *Glyca* recentioris Epiſtolas. *Qui enim fieri potuit*, inquit, *ut de Cedreno ne verbum quidem fecerit in Annalibus ſuis Glycas, qui Ioannem Scylitzen, Ioannemque Zonaram, tam ſaepe adpellat?* Quae quidem ratio mihi languidula videtur, ac futilis. *Labbeus* uſus videtur Codice MS. Claromontani Collegii Pariſienſis Societatis Ieſu, qui Epiſtolas XLVI continet *Zonarae* tributas. Hinc factum eſt, ut promiſcue haſce Epiſtolas ſub nomine *Zonarae*, aut *Glycae*, laudet *Allatius*; quamquam contra Creigthonum ſcribens in eam concedere ſententiam videtur, ut *Glycae* potius, quam *Zonarae* illas attribuat: ibi enim ita ſcribit: *Haec, & alia Michael Glycas, Epiſtola ſatis prolixa ad Ioannicium Monachum &c.* Et idem quoque facit paſſim in Opere *De perpetuo conſenſu utriuſque Eccleſiae &c.* & in

Diſſertationibus *De Libris Eccleſiaſticis Graecorum*, quoque ut plurimum *Glycae* eas vindicat. Et recte quidem, ut arbitror, ita ſentit vir ille doctiſſimus. Quomodo enim *Io. Zonarae* adſeri poſſunt illae Epiſtolae, quas Conſtantini Palaeologi aetate ſcriptas fuiſſe exploratae fidei eſt, ut ſuperius oſtendimus? *Zonaras* enim non ſub hoc Principe, neque ſaeculo XV, ſed ſub Alexio Comneno, XII videlicet ſaeculo, ab anno MCX ad MCXX floruit, ac paucis poſt annis Ioanne Alexii F. imperante naturae conceſſit. Inſuper duo Caeſarei Codices, quos *Lib. IV Commentariorum* laudat *Lambecius*, quorum prior Epiſtolas L, alter LVI continet, *Michaelem Glycam* auctorem praeferunt, hoc lemmate: Τῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας γραφῆς. *Sapientiſſimi, & eloquentiſſimi domni Michaelis Glycae in divinae Scripturae dubitationes*. Et ad calcem Codicis poſterioris haec ſcribuntur: Τῦτο βιβλίον ὑπάρχει Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ. *Hic libellus eſt Michaelis Glycae*. Sed & Codex Riccardianus, quo utimur, ita inſcribitur: Γραμματικῦ Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ. *Grammatici Michaelis Glycae*. Laudantur etiam a *Geſnero* ſub nomine *Glycae*, ut & ab *Hoeſchelio* ex Bibliotheca Auguſtana eodem titulo *Cod.* LXV. & a *Iac. Pontano*, qui prio-

res

res duas Latine convertit atque edidit. Sed & has ſub *Glycae* nomine citant *Caſaubonus Exercit. in Baron.* XVI. *n.* XLIX. *Antonius Poſſevinus Tom. II. Adparatus ſacri, & Io. Baptiſta Cotelerius* in Notis ad Opera SS. Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, ubi inquit: *Quae etiam citat Michael Glycas in libro poſteriore operis εἰς τὰ ἄπορα τῆς γραφῆς Cap.* XXXII. *Exſtat id opus MS. in Bibliotheca Thuana, compoſitumque eſt ex Orthodoxa fide S. Ioannis Damaſceni, adiectis nonnullis aliorum Patrum.* Sed & *Gul. Caveus* in *Ioanne Zonara* eas *Glycae* potius adiucandas exiſtimat. Ex his, quae hactenus diſſeruimus, conſtitit arbitror, non tantum has Epiſtolas genuinum eſſe *Michaelis Glycae* foetum; verum etiam, quem eae in diverſis Codicibus titulum praeferant. Quibus addi poteſt inſcriptio Codicis Auguſtani LVII. quae ita habet: *Michaelis Glycae explicationes obſcurorum locorum Sacrae Scripturae.*

Ceterum aliquot alios tractatus hactenus ineditos recenſet *Leo Allatius de Conſenſu utriuſque Eccleſiae Lib.* II. *Cap.* XVIII. nempe, *Librum ad Maximum Smeniotem de proceſſione Spiritus ſancti*, cuius fragmentum habet ibidem *Lib.* III. *Cap.* II. *Ad eumdem, an Chriſtus Azymo in ſuprema coena uſus ſit. Ad Eſaiam Monachum de animabus a corpore ſeparatis.* Verum hi omnes Tractatus,

nihil aliud mihi cum *Oudino* esse videntur, quam Epistolae *Michaelis Glycae*, in quibus Scripturae loca quaedam obscura, vel controversa, ille explicat.

Sed quia ad calcem Codicis Regii describuntur eorum nomina, quorum auctoritate usus est Epistolarum Scriptor, eam hic describere operae pretium esse existimavi. Συγγράφοντες καὶ συμμάρτυρες τῆς βίβλε αὐτοὶ, Γρηγόριος ὁ Θεολόγος, ὁ μέγας Βασίλειος, Γρηγόριος Νύσσης, Ἰωάννης ὁ χυσορρήμων, ὁ μέγας Ἀθανάσιος, ὁ Κύριλλος, ὁ μέγας Ἐπιφάνιος, Ἀναστάσιος ὁ Σιναΐτης, Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνὸς, Γρηγόριος ὁ Διάλογος, Ἀνδρέας Κρήτης, Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ Ἀπόστολοι, Νικηφόρος Πατριάρχης, σὺν τούτοις καὶ Μωσῆς καὶ Δαβὶδ, καί τις ὁ φωτίζων τούτους, καὶ μάρτυς ἀψευδὴς, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Qui simul scripserunt, simulque testes hujus libri fuere, sunt hi: Gregorius Theologus, Magnus Basilius, Gregorius Nissenus, Ioannes Aurifluus, Magnus Athanasius, Cyrillus, Magnus Epiphanius, Anastasius Sinaites, Ioannes Damascenus, Gregorius Dialogus, Andreas Cretensis, Petrus & Paulus Apostoli, Nicephorus Patriarcha, cumque his Moses & David, &, qui hosce illuminat, testisque est mentiri nescius, Spiritus sanctus.*

Verum antequam de *Glycae* Epistolis agere desinamus, de Codice Riccardiano Le-

Lectorem edocere fert animus. Codex hic Chartaceus est, notatus numero XIX. Pluteo K. Ordine I. inter Graeca Manuscripta. Continet primum Epistolas *Glycae* nonnullas, deinde *Christoduli* Monachi, seu *Ioannis Cantacuzeni*, Dialogos VIII adversus Iudaeos manu diversa exaratos. Primi autem titulus ita habet: Χριστοδούλου μοναχοῦ κατὰ Ἰουδαίων λόγος α'. *Christoduli Monachi adversus Iudaeos Sermo I.* Incipit vero: Οὐκ οἶδ' ὁπότερον κάλλιον φαῖεν ἄν τινες, ἐπιγράψας τῷ τοιούτῳ συντάγματι κατὰ Ἰουδαίων ἆρα, ἢ μᾶλλον ὑφ' αὐτῶν κτλ. Est in fine & aliud perbreve opusculum, alia quoque manu, ut videtur, exscriptum, cui praefigitur. Δόγματα ὀρθόδοξα, ἅπερ ἐξέθεντο οἱ Ἅγιοι Ἀπόστολοι, καὶ πάντες οἱ ἅγιοι πατέρες, καὶ οἰκουμενικοὶ διδάσκαλοι. *Dogmata Orthodoxa quae exposuerunt Sancti Apostoli, & omnes Sancti Patres, & Oecumenici Doctores.* Initium autem eius est: Πιστεύομεν καθὼς ἐβαπτίσθημεν εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, τὸν ἕνα θεὸν κτλ. Omnia tamen haec opera saeculo XV. descripta esse videntur, etsi nullibi anni, vel temporis, quo scripta fuerunt, adnotatio pareat. *Glycae* autem Epistolae omnes, quae hoc Codice habentur, XIV tantum sunt, quarum prima ad Ioannem Sinaitam scripta est, prout in Indice Lambeciano, & ceterae etiam eodem ordine,

ac ſerie, qua in memorato Indice, progrediuntur. Vnum tantum ſingulare habet hic Codex, quod numeri adnotatio indicat, eam Epiſtolam non eſſe *Glycae* primam, ſed tertiam; ita ut quartadecima decimaſexta, numero adſcripto, ſignificetur. Ceterum eſt admodum correctus, & emendatus; integer quoque, & eleganter exaratus, ut plurimi faciendus eſſe videatur.

Sed iam in alia *Glycae* opera inquiramus, deque iis loquentem audiamus *Caſ. Ondinum* in *Glyca: Inter MSS. Codices*, inquit, *Bodleianae Oxonii in Anglia Bibliothecae Cod.* DCCXX. *in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi litt. C. Cod. 77. Graece exſtant Michaelis Glycae ſermones varii: & ibidem Cod.* DCCXXIII *in Manuſcriptis Codicibus eiusdem ibidem Cod.* XCI. *n.* 2. *exſtat Michaelis Glycae Tractatus, qui in varia Capita dividitur &c. qui liber anno aerae Graecanicae* 6978 *ſcriptus eſſe dicitur, hoc eſt, anno Chriſti nati* 1470. *Denique in Catalogo Bibliothecae Marquardi Gudii, qui Regiae Maieſtatis Daniae Conſiliarius fuit in ſupremo Tribunali Ducatus Slesvvicenſis, anno* 1706 *Kilonii edito in* 4. *apud Bartholdum Reutherum pag.* 533. *inter MSS. Codices Graecos in* 4. *Cod. L. Michaelis Glycae ſermones, Chartaceo Codice bonae notae, quem titulus σοφώτατον καὶ λογιώτατον laudat, ubi ar-*

argumenta ſermonum recenſentur ſummatim, ſingulis per ordinem operi praemiſſis. Haec quidem ille. Sed haec fere omnia, nil aliud mihi eſſe videntur, quam ipſae *Glycae* Epiſtolae, quae λόγοι *Sermones* interdum inſcribuntur, ut quidem aliquando fit in Codice Riccardiano. *Guil.* quidem *Caveus* in ſua *Litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum hiſtoria* ſcriptum reliquit, Codice Philoſophico CIII Bibliothecae Caeſareae, nonnulla *Glycae* Capita Philoſophica adſervari: ſed eius inimicus & inſectator acerrimus *Caſ. Oudinus*, id falſi arguit, adfirmatque, quum conſuluiſſet, nihil ſe tale reperiſſe.

Iam tempus, quum de *Glycae* ſcriptis late egerimus, perſcrutari, quibus ille Chriſtianae religionis dogmatis cenſendus ſit, quod quidem ex ipſius ſcriptis eruendum videtur. *Glycam* quidem Orthodoxum *Phil. Labbeus* arbitratur: ſed evidentia ipſa contrarium demonſtravit. Antiquum enim ſchiſma & ipſe fovens, quaedam contra Latinos compoſuit. Nam ſcripſit primum ad Maximum Smeniotem, εἰ χρὴ προσέχειν τοῖς λέγουσιν, ὅτι λαβὼν ὁ Χριστὸς ἄζυμον ἐν τῇ ἑσπέρᾳ τῆς μεγάλης πέμπτης ὡς τῇ τῆς ἑορτῆς τὸ πάσχα, τινικαῦτα δῆθεν τοῖς οἰκείοις τὸ πάσχα ἐτέλεσεν. *An dicentibus attendendum ſit Chriſtum veſpere magnae Feriae V, quum Paſcha celebraretur, accepiſſe Azymum, & ſic ſuis tum*

Pa-

Paſcha tradidiſſe. Principium autem eſt: Ὁ περὶ τῶν ἀζύμων λόγος, ὦ θεῖα καὶ ἱερὰ κεφαλή, καὶ πολλοῖς ἔρθασε. Scripſit deinde eidem περί τινων χρήσεων, ὅτι ἐκ μόνου τοῦ πατρὸς, οὐ μὲν δὲ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται, καὶ ὅτι ἑ ταυτὸν ἀποστολὴ καὶ ἐκπόρευσις. *De nonnullis Patrum teſtimoniis, quibus probatur, ex ſolo Patre, non autem & ex Filio, Spiritum ſanctum procedere: & non eſſe idem miſſionem & proceſſionem*. Principium, τί δέ σοι καὶ περὶ τῆς ἀῤῥήτου τοῦ παναγίου πνεύματος ἐκπορεύσεως. Verum tamen eſt eum pro Latinis quoque contra ſuos Graecos ſcripſiſſe ad Eſaiam Monachum, περὶ τὲ ὁποῖον ἅπαντα τέλος ταῖς ψυχαῖς χωριζομέναις τὲ σώματος, καὶ ὅπου αὐταὶ ἀπέρχονται. *Quid ſit de animabus, poſtquam fuerint a corpore ſeparatae, & quo illae abeant?* Principium, Καὶ περὶ τῶν μὲν δικαίων, τί χρὴ καὶ λέγειν. Inibi probat luculentiſſime in coelum eas deferri, ideoque praeſentes Deum manifeſte intueri, atque ita ſumma beatitate gaudere: ut hinc arguas omnes Graecorum errores, ipſis etiam Graecis, qui ſchiſma foverunt, non eodem loco fuiſſe. Hic poſtremus Sermo decimae octavae Epiſtolae locum obtinet in Indice Lambeciano, a qua non multum diſſimilis argumenti videtur eſſe ea, quae ſequitur, undeviceſima, eidem Monacho ſcripta. Alii autem duo tra-

ctа-

ſtatus adverſus Latinos ſunt vigeſima ſeptima, & duodetrigeſima, Epiſtolae in Indice memorato, quem poſt Epiſtolas ad Operis calcem, ut iam diximus, cum aliis fragmentis, tempeſtive exhibebimus.

Jam vero quid de Glycae eruditione, iudicio, diligentia, & opinionibus, dicendum & ſentiendum ſit, alibi, licet perfunctorie & obiter, enuntiavimus; quare haec in praeſentia pluribus diducere pro inutili ac ſupervacaneo haberi poſſet. Hic tantum adſcribere e re fore arbitror catalogum Auctorum, qui in *Glycae* operibus, cum Epiſtolis, tum Annalibus, citantur, & ex quibus omnia ſua collegiſſe compilans ille videtur,

Floriferis ut Apes in ſaltibus omnia libant.

Hunc quidem praeter brevem illum Auctorum, qui in Epiſtolis laudantur, quem paulo ſuperius deſcripſimus, alii quoque concinnarunt; ſed, quem ipſe contexui, copioſiorem abſolutioremque eſſe inficiabitur nemo.

AU-

AUCTORES, ET LIBRI

Tam editi, quam ἀνέκδοτοι, ex quibus Michael Glycas *ſua collegit.*

AElianus
Alexander Monachus
Ambroſius Mediolanenſis
Amphilochius Iconienſis
Anabatianus. *S. Pauli Anabaticon*
Anaſtaſius Sinaites
Anaſtaſius Sinaites alter
Anaxagoras
Anaximander
Anaximenes
Andreas Cretenſis
Andromachus Medicus
Antoninus Auguſtus
Apollinarius Laodicenſis
Apollonius Tyaneus
Aquila
Arcadii Reſponſum
Ariſtoteles
Athanaſius
Athenodorus Philoſophus
Auctor Quaeſtionum ad Antiochum
Auguſtinus
Barlaamus
Barſanuphius
Baſilius Magnus
Baſilius Medicus

Cae-

Caeſarius Nazianzeni frater
Caius Hiſtoricus
Clemens Alexandrinus
Concilium Carthaginienſe
Coſmas Ieroſolymitanus Maiumae Epiſc.
Cyrillus Alexandrinus
Cyrillus Ieroſolymitanus
Damaſus Papa
Daniel Propheta
David Propheta
Democritus
Diodorus Tarſenſis
Diogenes Cynicus
Dionyſius Areopagita
Dionyſius Corinthius
Dioſcorides
Empedocles
Ephraemus
Epiphanius Epiſcopus
Epiphanius Presbyter
Euſebius Caeſarienſis
Euſtathius Antiochenus
Eutyches Haereticus
Eutychius Patriarcha
Galenus
Gennadius Patriarcha CP.
Georgius Cedrenus Chronographus
Georgius Syncellus
Germanus Patriarcha CP.
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Nyſſenus Gre-

Gregorius Magnus Papa
Gregorius II. Papa
Hadrianus Imperator
Heracleae Epiſcopus
Heraclitus
Hermes Trismegiſtus
Herodotus
Hieronymus
Hippocrates
Hippolytus Martyr
Hippolytus Thebanus
Homerus
Iamblichus
Innocentius I. Papa
Ioannes Chryſoſtomus
Ioannes Climax
Ioannes Damaſcenus
Ioannes Scylitzes
Ioannes Xiphilinus
Ioannes Zonaras
Ioſephi Precatio
Ioſephus Flavius
Iſidorus Peluſiota
Iulianus Halicarnaſſeus Haereticus
Iulius Caeſar
Iuſtinus Martyr
Iuſtinianus Auguſtus
Iuvenalis Ieroſolymorum Antiſtes
Leo I. Papa
Leo Archiepiſcopus Theſſalonicenſis
Leo Sapiens Auguſtus Liber

Liber De Basilii miraculis, qui ab Amphilochio scriptus putatur
Libanius Sophista
Macarius Aegyptius
Manes
Marcus Monachus
Maximus Monachus
Methodius Patriarcha CP.
Michael Cerularius
Michael Parapinacius Imperator
Michael Psellus
Nectarius Patriarcha CP.
Nestorius Patriarcha CP.
Nemesius Emesenus
Nicander Colophonius
Nicephorus Patriarcha CP.
Origenes
Papias Historicus
Parva Geneſis
Patricius Prusensis
Paulus Samosatensis
Paulus Sinopensis
Petrus ad Faustum
Philo Iudaeus
Philo Philosophus Historicus Ecclesiasticus
Philolaus
Photius
Pionius
Plato
Plotinus
Plutarchus

Porphyrius
Proclus
Procopius Caeſarienſis
Προσευχὴ τῦ Ἰωσήφ
Pſellus. Vide, Michael
Ptolemaeus Alexandrinus
Pyrrhon Chronographus
Pythagoras
Rufus Scriptor Medicus
Sabellius Haereticus
Serapio Mathematicus
Severianus Gabalorum Epiſcopus
Severus
Simeon Metaphraſtes
Sophocles
Symmachus
Tertullianus
Theodoretus
Theodorus Mopſueſtenus
Theodorus Studita
Theophanes Confeſſor Chronographus
Theophilus Alexandrinus
Theophylactus
Thucydides
Timotheus Patriarcha Alexandrinus
Valens Aſtronomus
Valentinus Haereſiarcha
Xenophanes Philoſophus
Zoroaſtres

FINIS.

ΤΟΥ ΣΟΦΩΤΑΤΟΥ ΚΑΙ ΛΟΓΙΩΤΑΤΟΥ

ΚΥΡΟΥ ΜΙΧΑΗΛ ΤΟΥ ΓΛΥΚΑ

ΤΟΥ ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΥ

Εἰς τὰς ἀπορίας τῆς Θείας Γραφῆς

ΛΟΓΟΙ.

SAPIENTISSIMI ET ELOQUENTISSIMI

DOMNI MICHAELIS GLYCAE (1)

GRAMMATICI (2)

In Divinae Scripturae dubia

DISPVTATIONES, ſive EPISTOLAE.

Τῷ τιμιωτάτῳ Μοναχῷ, καὶ Στυλίτῃ κυρῷ Ἰωάννῃ τῷ Σιναίτῃ. Εἰ χρὴ συγκαταβαίνειν τοῖς πταίουσι καὶ μὴ κατὰ λόγον αὐτοῖς ἐπιτιμᾶν τὰ προσήκοντα.

Ad Domnum (3) Ioannem (4) Sinaiten (5) Monachum, & Stylitam (5) maxime venerandum. Utrum in peccatum lapſis condeſcendendum ſit, an, prout ratio poſtulat, increpandi ſint?

Λόγος ά.

Diſputatio I.

Iac. Pontano S. I. Interprete.

Καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων, ὡ θεῖα καὶ ἱερὰ κεφαλή, τοῖς ἀρχαιοτέροις ἰσόρρη-

Hoc etiam inter alia a veteribus conſignatum eſt literis, o ſacrum C di-

(1) Titulus praefixus Glycae Epiſtolis in Codice Caeſareo.

ρηται, τὴν γλαῦκα τὸ ὄρνεον τὸ ἀμορφότατον ζῶον

divinumque caput(7), avem Noctuam, defor. miſ-

(2) Ita adpellatur in Codice Riccardiano, quo nos uſi ſumus.

(3) *Domnum Κυρόν.*] A Graecis ſequioris aevi Scriptoribus κυρὸς *pro* κύριος paſſim uſurpatur, quemadmodum κῦρ, & κύρις, & κύρης in eodem ſignificatu. Itaque legitur Κῦρ Κωνσταντῖνος apud Anonymum Combefiſianum *in Porphyrog. n.* 4. Κῦρ Λέων apud eumdem *Porphyrog. in Baſilio num.* 100. *Edit. Combef.* Κῦρ Ἀλέξιος in Pacto Boemundi apud *Annam Comnenam Lib.* XIII. qui eodem libro etiam Κυρὸς dicitur. Κῦρ autem indeclinabiliter uſurpabant, quare in *Typico S. Sabae Cap.* VII. legitur. χαιρὸν ὁ τῷ Κῦρ Κοσμᾷ, καὶ Κῦρ Θεοφάνει. Κύρης occurrit non ſemel apud *Conſtantinum de Adm. Imp.* ὁ δὲ βασιλεὺς ὁ Κύρης Ῥωμανός. Κῦρις autem legitur in *Act. X. Concilii Chalcedonenſis.* Κῦρις Εὐσάθιος λέγει, & alibi; *Apud S. Ephraem in Actis S. Abramii; Gregorium in Vita Baſilii Iunioris; Theophanem in Copronymo, & Conſtantino filio Irenes; Dorotheum Doctrin.* II. *Iohan. Moſchum in Limon. Euſtathium in Vita Eutychii Patriarchae Conſtantinopolitani; In Vita S. Nili Iunioris; in Apophthegmatis Patrum; In Actis S. Maximi Confeſſoris*; &, ut alios Scriptores brevitatis gratia praeteream, in *Vita MS. S. Euphroſynes*, ubi ita indigetantur Monachi. Apud *Montemfalconium Diar. Ital. Cap.* XV. in Cod. MS. Biblioth. Monaſt. S. Baſilii, femineo genere Κυρὰ Γουαζρίς. Videtur tamen & ab antiquioribus Graecis aliquid huic adfine eſſe dictum, & vox Κύριος non integra interdum eſſe prolata apud quosdam. *Heſychius* enim ſcribit

ζῶον μέγα τι χρῆμα missimum (8) animal,
οἴεται ὁ ἀετὸς ἠὲ πα- Aquilae (9) eximium
ρά- C 2 quid-

bit Adonin a Laconibus κῦρις, & κυρὶς fuisse nuncupatum. Non aliter Latini vocem *Domnus*, ex *Dominus* contractam, ad testandam venerationem adhibuerunt. Sed audiamus quid Vir eruditissimus *Carolus Du-Fresnius* super hoc in suo *Glossario* commentetur. *Apud Scriptores*, inquit, *aevi medii veneration*em *praecipuam debere adpellationem* Domni, *apice uno ex* Domini *voce rejecto, observarunt pridem Viri docti, & tribui vulgo Ecclesiastica dignitate fulgentibus, ac vitae sanctitate insignibus*. Ita passim Episcopis hanc tribuunt *Gregorius Magnus*, *Paulinus*, *Evodius*, *Fortunatus*, *Nicetius Trevirensis*, *Avitus Viennensis*, *Gregorius Turonensis*, *Ennodius*, *Ivo Carnotensis*, & alii. Summis primum Pontificibus peculiarem fuisse adpellationem contendit *Onuphrius*. *Constantinus Pogonatus* Imperator in VI Synhodo: Σάχρα δόμνῳ τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης. *Fulco Lib. I. Gestorum viae Ierosolymitanae*.

Prospiceret Domnus sapienti pectore Papa
Quid facto sit opus.

Postea Abbatibus etiam & Claustralibus attributa *Domni* adpellatio. *Iohannes de Ianua: Domnus & Domna, per syncopen, proprie convenit Claustralibus; sed Dominus, Domina, mundanis. Regula S. Benedicti Cap.* LXIII. *Abbas autem qui vices Christi creditur agere, Domnus, & Abbas, vocetur. Odilo* in *Vita S. Maioli. Et ab omnibus Domnus & Abba honoratur.* At ex Casinensibus Constitutionibus ad hoc Caput, aliis quoque Monachis communis erat. &c. Id quod omne mirifice illustrat vocem illam κυρός.

ράδοξον· καὶ καθάπερ τινὰ φύσιν θαύματος ἀξίαν quidpiam, & admirabile videri: quam ut

(4) Quis hic ſit Ioannes Sinaita me prorſus fugit. Alii certe fuerunt Ioannes Sinaitae, qui *Glycae* aetati minime conveniunt, ut Ioannes Sinaites, qui dictus eſt Climacus, & alius Ioannes Abbas Montis Sina, diverſus, ut volunt, a Climaco, & qui in MSS. Codicibus perhibetur auctor germanus Hiſtoriae SS. Barlaam, & Ioſaphat, ut ſcribit *Phil. Labbeus Diſſertat. De Scriptorib. Eccleſ.* Ioannis cuiusdam Sinaitae ſermones aſceticos MSS. in Bibliotheca Iuſtinianea Venetiis adſervari ſcribit *Monsfalconius Diar. Ital. cap.* XXVIII. Fuit quoque Ioannes Montis Sinai Monachus, qui anno 1084. ſtoruit, de quo *Caveus;* niſi idem eſt cum proxime memorato.

(5) *Sinaiten*] In Monte Sina Monachorum Coenobia & Monaſteria erant, unde Anaſtaſius ille Sinaita celeberrimus, qui in eo monte vitam monaſticam agens philoſophabatur, ut loquitur *Nicephorus Lib.* XVII *Hiſt. Eccl. Cap.* XIX. *& Lib.* XVIII. *Cap.* XLIV Sed de Monachis & Monaſteriis Montis Sina videndi *Simeon Metaphraſtes* in *Vita Sanctorum Galactionis, & Epiſtemes* apud *Surium; Everwinus* Abbas Monaſterii Dolienſis in *Vita S. Simeonis* Monachi Trevirenſis, qui quum Monachus Sinaites fuiſſet, anno 1035 diem obiit; quae vita pariter habetur apud *Surium;* Sanctus *Nilus* Abbas libello *De interemtione Sanctorum Patrum, qui erant in Sina, & Rhaiti regione* apud laudatos *Metaphraſtem*, & *Surium*, quae quidem perſequutio anno IX Anaſtaſii Imperatoris indictione II contigit. Plura quoque de Sinaitis referet *Anaſtaſius* ille Monachus, cuius operis in *Cod. Colbertino* 4726 hic exſtat

ἀξίαν περιέπει ταύ- ut natura ſuſcipien-
την καὶ τέθηπε, καὶ ταῦ- dam honorabunda
τα C 3 pro-

ſtat titulus: Ἀναστασίου Μοναχοῦ διηγήσεις διάφοροι περὶ τῶν ἐν Σινᾷ ἁγίων πατέρων. *Ammonius* etiam Monachus, qui narrationem de Sanctis Patribus Sinaitis a Barbaris peremtis, a doctiſſimo *Combefiſio* editam, conſcripſit. Saeculo XV quidem Monachi Sinaitae ſupererant, ut ex Operibus *Gennadii Scholarii* intelligere eſt. Quin Monaſteria quaedam adhuc in Monte Sina exſiſtunt, ut videre eſt apud *Thevenotium Lib.* II. *Itiner. Cap.* XXVI, *& ſeqq.* & clarum praecipue eſt Monaſterium Sanctae Catharinae, de quo laudatus *Thevenotius*, & *Monsfalconius Diar. Italic. Cap.* XV.

(6) *Stylitam.*] στυλίτην quidem deeſt in Codice Riccardiano, ſed Codex, quo *Pontanus* uſus eſt, illud habebat. Hoc nomine adpellatur Monachus, qui in columna vitam exigit. *Suidas*: στυλίτης ὁ ἐπὶ κίονος ἱσάμενος. *Stylita, qui ſuper columnam ſtat.* Nam columna Graecis Grammaticis σῦλος, & σῆλη ab eadem origine, ſive etiam κίων dicitur. Unde *Georgius Hamartolus* in Conſtante Filio Conſtantini poſt *Heraclonem* illos monachos vocat κιονιτὰς, *Cionitas*, ideſt, *Columnarios*. Sed a σῆλη etiam σηλῖται dicti ſunt, ut videre eſt in marginali nota Eclogae Vniverſi Iuris, quam *Leunclavius* edidit, *Lib.* VII. *Tit.* VIII. *Cap.* II. Huius inſtituti auctor fuit Sanctus *Simeon* cognomento *Stylita*. *Theodorus Lector Eccleſ.* I. Συμεὼν ἀπὸ κώμης ἦν Σιζὰν καὶ πρῶτος τῶν κιόνων ἐπιστήδευμα ἐπενόησεν. *Evagrius Lib.* I. *Cap.* XIII. de eodem S. Simeone: Πρῶτος τὴν ἐπὶ κίονος σάσιν ἐπιστηδάσας δίπηχυ μόλις ἐνδιαίτημα τὸ περίμετρον. Adde *Lib.* V. *Cap.* XXIII. Adeundi *Nilus Mo-*

na-

πα μηδέ τι ἕτερον οὖ- prosequatur, & ob-
σαν, ἢ γλαῦκα, δυσ- stupescat; quum ta-
ει- men

nachus Lib. II. *Epist.* CXIV *ad Nicandrum* συλίτην, *& Epist.* CXV. *Vita S. Theodosii Coenobiarchae. Vita S. Lucae Iunioris, & Ioh. Moschus in Limon. Cap.* XXVIII. XXIX. XXXVI. CXVIII. CXXIX. *Niceph. Lib.* XIV. *Cap.* XV. *Eulogius Alexandrinus apud Photium Orat.* IX. *Theodorus Petraeorum Episcopus. Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum Cap.* XXXVI. *Suidas, Cedrenus.* Vixit Simeon hic sub Theodosio, & Leone Imperatoribus, mortuus est anno IV Imperii Leonis.

(7) Caput sumitur pro persona. *Euripides* in *Oreste.*

Ἄκουε δὴ νῦν, ὦ κασίγνητον κάρα,
Ἕως σ' ἐῶσί σ' ἆ φρονεῖν ἐριννύες
Audi vero nunc, o frater,
Donec sinunt te sapere Erinnyes

Et ex intervallo:

Καὶ νῦν ἀνακάλυπτ', ὦ κασίγνητον κάρα,
Ἔκ δακρύων τ' ἄπελθε.
Et nunc retege, o Soror,
Et abi a lacrimis.

Et ibidem pariter:

Ὦ πρέσβυ χαῖρε, Διὸς ὁμόλεκτρον κάρα.
Salve Senex, cum Iove eamdem coniugem habens.

Et mox:

Μενέλαε προσφθέγγῃ νιν ἀνόσιον κάρα
Menelae, adloqueris ipsum pollutum caput.

Idem in *Hippolyt. Coron.*

ὦ κακὸν κάρα
O sceleſtum caput.

Et in *Rheso.*

Ἄπολ-

εἰδῆ, καὶ καταφρόνητον men aliud nihil ſit,
τοῖς πολλοῖς. καὶ μή μοι niſi turpis, & vulgo
λέγε C 4 deſpi-

Ἄπολλον ὦ δῖα κεφαλὰ μόλε τοξίρρης.
Apollo, o divinum Caput, venias
Arcitenens.

Et *Sophocles* in *Electra*.

Γέλωτι φαιδρῷ τοὐμὸν ὄψεται κάρα
Laeta me videbit.

Eadem phraſis paſſim occurrit in divinis Scripturis, ut 1. *Reg.* Cap. II. *v.* 25. τὸ αἷμά σου ἔσαι ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου. *Sanguis tuus erit ſuper caput tuum.* iuxta LXX. II. *Reg.* Cap. I. *v.* 16. *Ezechielis* Cap. XXXIII. *v.* 4. *Actorum* Cap. XVIII. *v.* 6. Et Latinis etiam Auctoribus uſitata eſt. *Plaut. Epid. Act.* 1 *Sc.* 1.

Plane hoc corruptum eſt caput.

Propertius Lib. II. *Eleg.* 1.

Et ſumta, & poſita pace fidele caput.

Item Iurisconſultis, dum tributa in capita imperare, ſuccedere, vel dividere in capita, dicunt. Eſt autem ſermo tropicus, ſynecdoche ſcilicet membri. Caput enim pars princeps, & veluti arx eſt corporis humani. Hic idem *Michael* Epiſtola inſequenti: ἐπίγνωθι οὖν ὦ ἱερὰ κεφαλή. *Franciſcus Philelphus* Epiſtola ad Andream apud *Montemſalc. Diar. Ital. C.* XXV. ἔρρωσον φιλτάτη μοι κεφαλή.

(8) De avis Noctuae deformitate lepidiſſimos *Gregorii* Nazianzeni Iambicos habemus *Carmine* XXII.

Τὴν γλαῦκ' ἐπέσκωπτέ τις. ἡ δὲ ἐφύγγανε
Τῶν σκωμμάτων ἕκαστον ἀσόχῳ λόγῳ.
Ὅσον κέρηνον! τοῦ δι᾽ὸς δὲ πήλικον.
Ἡ γλαυκότης δέ! τοῦτο τῆς γλαυκώπιδος.
Φθέγγῃ δύσηχον. ἡ δὲ κίττα καὶ πλέον.

Τὸ

λέγε τὴν ἱστορίαν εἶναι ἀθλίαν, μηδὲ πρὸς ἡδονὴν — deſpicabilis Noctua: Nolim mihi obcurras,

Τὸ λεπτόπουν πῶς; Ἥρη δέ σοι τί φαίνεται;
Ἐπεὶ δὲ πάντα διέδρασε ῥαδίως,
Ἑνὶ κρατεῖται καὶ σοφὴ ὅσ' ὅμως.
Ἀλλ' ὡς σοφὴ, σκόπησον· ὡς τούτων μὲν ἓν
Ἑνὶ πρόεσι, σοὶ δὲ ἅπαντα καὶ λίαν·
Γλαυκή, δύσηχος, λεπτόπους, βαρύχρανος.
Τούτοις ἀπῆλθεν ἐντραπεῖσ' ἡ φιλτάτη.

Noctuam aliquis inridebat, illa autem eludebat
Unumquodque ſcommatum ſolerti ſermone.
Quale caput! Iovis autem caput quale eſt.
Glaucedo autem? Hoc Deae caeſiis oculis proprium.
Inſuaviter cantas. Pica etiam inſuavius.
Pedis tenuitas quomodo? De Sturno quid tibi videtur?
At poſtquam omnia facile diluiſſet
In uno victa eſt, quantumvis ſapiens.
Sed ut ſapiens animadverte, harum quidem ſingula
Singulis ineſſe, in te vero omnia, & ſupra modum;
Quum & glauca ſis, & cantu rudis, & pede tenuis, & capite gravis.
Ad quae verba pudore ſuffuſa abiit bona noctua.

(9) Unde id acceperit *Glycas* fieri non potuit ut reperirem. Sed certum & exploratum eſt, videri hanc volucrem ceteris avibus ſtupori eſſe, & admirationi. *Timo* Syllographus apud *Laertium*, & *Heſychium Illuſtrem* de *Arceſilao*.

Οἱ δὲ μὲν ἠύτε γλαῦκα περὶ σπίζαι τεράτευντο.
Illum autem mirabantur, ut aviculae, quae noctuam circumſtant.

Dio

νην τῶν ἀκουόντων μυθοπλασθῆναι ταύτην ἀνέκαθεν. Ἐξ ἡμῶν γὰρ αὐτῶν ἐπιβεβαιῶνται τὰ κατ' αὐτὴν, καὶ τὸ αὐτὸ πίστον ἔχουσιν. ἴδου γὰρ ὁ ὑψιπέτης σου καὶ μεπάρσιος ὁ δίκην ἀετῶ τὸν ἀέρα τέμνων, ὁ τὸν αἰθέρα ταῖς νοηταῖς ὑφιπτάμε-

ras, narrationem hanc, falsam atque ad voluptatem audientium iam olim excogitatam esse fabulam: ex nobis enim ipsis, si alia argumenta desint firmitatem, probabilitatemque, sumit. Nam ecce altivolans (9) tu, & sublimis

Dio Chrysostomus in *Olympico sermone*: Οἱ δὲ ἀνθρωποί φασιν, ὅτι θαυμάζει τὴν γλαῦκα τὰ ὄρνεα. *Homines autem dicunt aves mirari noctuam*. *Aristoteles Lib.* IX. *hist. Animal.* Cap. I. τὰ ἄλλα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα περιπέτεται ὁ καλεῖται θαυμάζειν. *Ceterae aviculae noctuam circumvolant, quod mirari vocatur*. Hujus autem rei rationem prorsus fabulosam adfert *Servius* in 1. *Georgicorum*. *Nyctimene, postquam cum patre concubuit, & adgnovit facinus, in silvis se abdidit, & lucem refugit, ubi Deorum voluntate conversa est in avem, quae tanto scelere omnibus avibus est admirationi*. Aliam causam ex AEsopo tradit *Dio* laudatus in citato sermone, non minus fabulosam. Heinc *Noctuae* Ebraeis תנשמת *Thinsemeth* dicta est, tamquam *stupenda* & *mirabilis*, doctissimo *Sam. Bocharto* auctore. *Glycas* videtur hoc initio imitatus *Dionem Chrysostomum* in *Oratione Olympica*.

(10) Aquila volatu sublimius sese effert, quam ceterae aves, unde *altivolans* ὑψιπέτης, & ὑψιπετήης Poetis dicta est, ut *Homero Iliad.* μ', & ν', & χ', &

μενος πτέρυξιν, ὁ πρὸς ὑπαντὴν τοῦ οὐρανοῦ ἐλδσομένου πτώματος ἕτοιμος μέγα τι νομίζεις ἐμὲ, καὶ διὰ πολλοῦ τοῦ καύματος ἔχεις,

limis, qui inſtar Aquilae aërem tranas: qui pennis ſub intelligentiam cadentibus ad aethera (1) ſubvolas: qui ad occurſum cor-

& *Odyſſ.* ὑ, & ὠ. & *Nonno Dionyſiacorum Lib.* XL. Heinc & oraculum de Athenienſibus editum,

Αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι
Aquila in nubibus fies.

Scholiaſtes *Ariſtophanis* in *Avibus* ſignificari ait illos τοσοῦτον αὐξηθήσεσθαι ὅσον αἰετὸς τῶν ἄλλων ὀρνέων ἐν ταῖς νεφέλαις προύχει. *Tantum augendos, quantum Aquila in nubibus ſupra ceteras aves eminet.* Apuleius *Lib.* I. *Floridorum. Aquila enimvero quum ſe nubium tenus altiſſime ſublimavit; evecta alis totum iſtud ſpatium, quo pluitur, & ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini nec fulguri locus, in ipſo, ut ita dixerim, ſolo aetheris, & faſtigio hiemis.* Et *Horus Lib.* II. *Cap.* LIII. de Aquila ſcribit: ὑψηλότερον πάντων τῶν πετηνῶν ἵπταται. *Omnium avium altiſſime volat.* qua de cauſa, ſi *Ariſtoteli Lib.* IX. *Hiſt. Cap.* XXXII. fides, eam homines avium ſolam divinam eſſe perhibuere. Non aliter de Aquila coeleſtes literae loquuntur. *Salomon Proverb.* XXIII. 5. *Vt Aquila volabit in coelum. Abdias* autem *verſ.* 4. Idumaeos adloquens munitionum ſuarum altitudine ſuperbientes: *Si extuleris tamquam Aquila, & inter ſtellas poſueris nidum tuum, inde deiiciam te, ait Dominus.*

(1) Codex Riccardianus ὑπεριπτάμενος. *ſupervolans.* Pontanus legiſſe videtur ὑφιπτάμενος.

χεις, καὶ καθάπερ τι (1) corporis de (2) coe-
χρῆ- lo

(1) Codex Riccardianus habet πτώματος. *Cadaveris*. *Pontanus* legiſſe videtur σώματος.

(2) Ἀλληγορίαν, quam inceperat, continuans, de Domino olim ad iudicandum venturo loquitur, ac ſi de quodam corpore coelitus deſcenſuro loqueretur. Eſt enim quoddam Aquilarum genus, quod corporibus exanimis, aut cadaveribus, veſcitur, ut eſt Percnopterus, vel Gypaeetus, degeneris Aquilae genus vulturina ſpecie, quae ſola Aquilarum exanima eſt corpora, ut ex *Ariſtotele Lib.* IX. *Hiſt. Cap.* XXXII. habet *Plinius Lib.* X. *Cap.* III. Generatim enim Aquilae cadavera non guſtant, quare *Tzetzes Chil.* V. *Cap.* 9.

Λέοντες θῆρες σὺν αὐτοῖς καὶ ἀετῶν τὸ γένος
Νεκρῶν οὐκ ἀπογεύονται τὸ σύνολον σωμάτων.
Leones fere, & cum ipſis Aquilarum genus
Mortua corpora plane non guſtant.

Quare de illis intelligenda veniunt, quae leguntur in *Iobo* de Aquila *Cap.* XXXIX. 30. *Et ubi ſunt confoſſi, ibi eſt*, hoc eſt, *confoſſorum*, vel *occiſorum* cadavera. Ad quem locum palam adludunt Chriſti verba *Matth.* XXIV. 28. & *Luc.* XVII. 37. *Vbicumque eſt cadaver, ibi congregabuntur & Aquilae*. Quae firmantur inſuper ex verbis *Salomonis Proverb.* XXX. 17. *Oculum, qui patrem deridet, matriſque diſciplinam ſpernit, hunc effodient Corvi vallis, & Aquilae pulli comedent*. Dixi autem eum ἀλληγορίαν continuare, quod aperte his verbis iuſtorum occurſum, quo Domino de coelo ad homines iudicandos deſcendenti iſti in aera obviam ibunt, ſignificet, iuxta illud *Apoſtoli I. Theſſalon. Cap. IV.* de Reſurrectione agentis,

χρῆμα ἑράσμιον, παν-
ταχοῦ περιάγεις καὶ
τὰς τῶν πολλῶν ἀκοὰς
ξένοις τισὶ καταγοη-
τεύεις ἀκούσμασι. καί
σου μὲν οὕτω πρός με
διάκεισαι. ἐγὼ δὲ οὐ-
δὲν ἄλλο ἢ γλαύξ εἰμι,
ἀμορφίαντε τὴν ἐντὸς
περικείμενος αὐτὸ τὸ
τῆς ἡμέρας ἀμβλυώτ-
των ἀπαύγασμα· ταύ-
τῃ τοι καὶ πρὸς ἔργα
φωτὸς ἤδη καλούμενος
ὀκνῶ καὶ ἀναδύομαι·
ἄτε τοῦ πράγματος
ὑπὲρ ἐμὴν ὄντως καὶ
φύσιν

lo quondam venturi paratus & expeditus es, me plurimi facis, & magnopere admiraris; nec secus atque amabile aliquid ubique circumfers, multorumque aures novis quibusdam de me commemorationibus, ceu magico carmine delinis atque demulces. At tua quidem de me talis est opinio. Ego vero plane nihil, praeter quam Noctua (1) sum, intus de-

tis. *Nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.*

(1) Viden apertam *Dionis Chrysostomi* imitationem? In *Olympica* enim *oratione* sic ait: ὡς δὲ καὶ ὑμεῖς τοσαῦτα θεάματα ἔχοντες τερπνά, τοσαῦτα δὲ ἀκούσματα, τοῦτο ῥήτορας δεινοὺς, τοῦτο δὲ ξυγγραφέας ἰδίσους ἐμμέτρων καὶ ἀμέτρων λόγων, τοῦτο δὲ ταὼς ποικίλους, τοῦτο δὲ ὡς πολλοὺς σοφιστὰς δόξῃ καὶ μαθηταῖς ἐπαιρομένους, οἷον πτεροῖς. ὑμεῖς δ' ἐμοὶ πρόσιτε καὶ βούλεσθε ἀκούειν τοῦ μηδὲ ἰδύτος μηδὲ φάσκοντος ἰδέναι· ἆρ' οὐκ ὀρθῶς ἀπηχάζω τὴν σπουδὴν ὑμῶν τῷ περὶ τὴν γλαῦκα γινομένῳ, σχεδὸν οὐκ ἄ-

γευ

καὶ δύναμιν· μὴ τοίνυν τῷ περὶ ἡμᾶς φίλτρῳ νικώμενος, μέγα τι νόμιζε εἶναι τοὺς μηδὲν ὄντας ἡμᾶς. μηδὲ θειοτέρων ἅπτεσθαι νοημάτων ἀνάγκαζε, τούς τε βίον ἀκάθαρτον ἔχοντας, καὶ γλῶτταν ὡσαύτως ἐν τοῖς τοιούτοις

deformis undequaque, & ad ipſum hoc diei lumen caecutiens (1); quamobrem & nunc ad opera lucis invitatus tergiverſor, & negotium ſupra ingenium, ſupraque (2) vires meas, refugio. Quare noli amo-

νευ δαιμονίας τινὸς βουλήσεως; κτλ. *Sic vos quoque, quum tot amoena habeatis ſpectacula, tot quoque auditiones, partim quidem vehementes rethores, partim autem conſcriptores iucundiſſimos & carminibus & proſa: partim autem varios pavones, nempe multos ſophiſtas, gloria & diſcipulis elatos, quaſi pennis; vos, inquam, his relictis me convenitis, & audire eum vultis, qui nihil ſcit, neque ſe ſcire adfirmat. An non recte adſimilo ſtudium veſtrum ei, quod noctuae accidere ſolet, fere haud abſque divina quadam voluntate?*

(1) Noctuam interdiu omnino caecutire negat *Iob. Ionſtonus Hiſt. de Avibus Tit.* VII. *Cap.* V. Diurno tamen ſplendore eius viſum hebetari non inficiandum, ut ſcribit *Ambroſius Lib.* V. *Hexaemeron. Cap.* XXIV. *Exorto autem die, & circumfuſo ſplendore Solis, viſus ejus hebetatur, quaſi quibusdam erret in tenebris.*

(2) *Horatius* in *Arte:*

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, aequam
Viribus

Quare *Ovidius* II. *Triſt.*

Divitis ingenii eſt immania Caeſaris acta
Condere, materia ne ſuperetur opus.

τούτοις ἀπαίγδυτον φέροντας. μηδὲ γὰρ εἰς τοσοῦτον μανείημεν ὡς τίνες τε ἡμεῖς ἐσμὲν καὶ ὅπη κακῶν ἐλήλακεν τὰ καθ' ἡμᾶς ἠγνοηκέναι παντάπασιν. ἐγὼ δέδοικα μὴ καθ' ἡμῶν ὁ προφητικὸς ἐκεῖνος ἐξένεχθείη λόγος ὁ λέγων. ἵνα τί σὺ ἐκδιηγῇ τὰ δικαιώματά μου, καὶ ἀναλαμβάνεις τὴν διαθήκην μου διὰ στόματός σου; ὅθεν ἐγκωμιάζειν ἡμᾶς ἄμεινον ἦν. οὐ μὴν ὅλως παριάζεσθαι καὶ τῶν ὑφ' ὑμᾶς ἀπερισκέπτως κατατολμᾶν· ἀλλ' ἵνα μὴ τὸ σὸν ἐπίταγμα παρ

amore noſtri victus excellentes arbitrari, qui nihil ſumus: nec velis ad divinos ſenſus pertractandos compellere, quorum, & vita impura, & lingua ſimiliter ad res iſtiuſmodi explicandas imperita, invenitur. Haud enim eo inſaniae progrediemur, ut & (1) qui ſimus, & quo malorum peccando devenerimus, funditus neſciamus. Equidem metuo, ne adverſum nos propheticum illud proferatur. *Quare* (2) *tu* enar-

(1) *Iuvenalis:*

De coelo deſcendit γνῶθι σεαυτόν.

Socrates mortalium ominum ſapientiſſimus Apollinis oraculo declaratus eſt, quod ſeipſum noſcens ſe nihil ſcire profeſſus ſit, ut ſcribit *Plato* in *Apologia*. *Perſius.*

Nec te quaeſiveris extra.

Hipparchus Piſiſtrati F. inter publica praecepta id reponebat, teſte *Platone* in *Hipparcho*.

(2) *Pſalm.* XXXIX.

παρ' οὐδὲν θέμενοι τῷ τῆς ἀνηκοΐας ἐγκλήματι περιπέσωμεν, ἰδοῦ τῇ σῇ θαῤῥήσαντες ὁσιότητι, καὶ τῶν ἀνεφίκτων καταπολμῶμεν, καὶ ὡς δυνάμεις περὶ ὧν ἠρώτηκας ποιούμεθα τὴν ἀπόκρισιν· ἔνθεν τοι καὶ ἄκνος. Ὅτι μὲν οὖν, ὁσιώτατε, τοῖς ἐν ἁμαρτίᾳ ζῶσι πόρρω τυχὸν ἡ μοιχείᾳ συγκαταβαίνειν οὐκ ἔννομον, εἰ μὴ καὶ μᾶλλον ἐπιτιμήσεις ἐπάγειν αὐτοῖς, ἀφ' ὧν εἴωθε τὰ ψυχικὰ θεραπεύεσθαι τραύματα, δέδεικται μὲν ἀρκούντως ἀπό τε τῶν ἱερῶν γραφῶν. ἐχ ἧττον δὲ καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν σωματικῶν ἰατρῶν ἔνερ-

enarras iuſtitias meas, & adſumis teſtamentum meum per os tuum? Itaque praeſtaret nos laudationes ſcribere, quam adeo libere, & abſolute, nihil recuſare, & inconſulto viribus ſuperiora ſuſcipere. Verumenimvero, ne iuſſa tua aſpernantes, inobedientiae culpam commereamur, ne confiſi ſanctitate tua audemus adgredi, ad quae pertingere nequimus, & ut poſſumus, quaeſita tua diſſolvimus. Proinde heinc aures mihi da. In peccatis (1) ſe volutantibus, vir ſanctiſ-

